OPVSCVLVM DE TVBERIBVS,

Alphonso Ciccarello Physico de Mæuania Auctore.

Adiecimus etiam opusculum de Clitumno flumine, eodem Auctore.

Cum duplici indice, capitum scilicet, & auctorum.



Cum licentia superiorum.

Patauij, ad instantiam Ludouici Bozetti.

M D L X I I I I.

HIERONYMVS VGOLINVS FVLGINAS V. I. doct. ad lectorem.



EM optime lector Al-
phonſi opus, non pa-
rum tum ob ſermonis
elegantiam, dicendiq́;
ubertatem deſidera-
tum, tum ob materiam nulli ta-
ctam cognitione maxime dignam,
luce dignißimum legere iam li-
ceat. in quo inter legendum pluri-
ma quæ proderunt, multa quæ de-
lectabunt, uaria quæ utrunque præ
ſtabunt, non ſine ſalibus dicta adin
uenies: ita tamen inuenta inſpi-
cies, ut ſemel iterumq́; legiſſe nun
quam pœnitere poſsit. Nam (ſem-
per enim noua placere ſolent) in
hoc opere ex lectione ueterum re-
centiorumque ſcriptorum monu-
menta huc translata ſunt. Siqui-
dem Auctor naturam imitatus ua-
riis floſculis, uiolisq́;, ut uere pra-

ta uariantur, consp ergere nixus in-
est: atque adeo excoluit ut uere in-
genio miro, arte exactissima usum
dicere possumus. sed quid ipse plu-
ribus? res ipsa quanti faciundus sit
liber, indicabit, quantumque ex
eius lectione tibi accesserit utilita-
tis. Vale.

Ioan. Baptistæ Benamati Cantianensis
Ad Mæuaniam distichon.

Properti meritis quondam Mæuania uatis,
Nunc iterum Alphonsi tolle superba caput.

Laurentii Saccharei Spoletini distichon
ad Ioan. Baptistam Benamatum.

Arcana hic naturæ aperit, canit alter amores,
Laudibus at dignum quem magis ipse putas?

INDEX CAPITVM OPVSCVLI De Tuberibus.

AD D. LAVRENTIVM SACCHAREVM SPOLETINVM.



Vdiustertius, eruditißime mi domine, inter loquendum dubitatum fuit post cœnam, nunquid apud priscos ista nostra Tubera nigra & aromatica cognita fuerint? cui mox ego respondens quòd sic, & tractatum de Tuberibus conficere promisissem, ne calculo abusionis notatus sim, ipsum tractatum iam iam peractum ad tuam dominationem mittere decreui. Homo nanque promissa non obseruans inter mundi abusiones connumeratur a Ioan. Pico in lib. de Abusione, in quo donum illud Dei quod ordo a diuino Platone nuncupatur.

(ut omnia dilucidè sint dicta) observare enitar: & ultra hæc rationibus & auctoritatibus omnia ipsa probabo. Suscipe igitur hæc munera, quæ & si parua tibi, tamen maximam utilitatem, & iucunditatem apud Antistites ac Heroes allatura esse procomperto habeo. S. D. ualeat & me amet. Mæuaniæ die 14. Ianuarii M D L X I.

V. M. D.

Seruus Alphonsus Cicc.
Mæu. physicus.

EXIMIO DOMINO ALPHONSO CICCARELLO physico Mæuanati D. meo plurimum honorando.


Ergratissimam iucunditatem attulit de Tuberibus opus, quod ad me excellentia tua transmittere dignata est. tum quia ingeniosum elegans & eruditum, tum etiam quia e scrinio tuarum delitiarum proficiscitur. doleo tamen uices meas, quæ quod ei par rependant, non habent: sed cum Spoletina Tubera in eo præcipue laudaueris mitto ex eis aliqua, alterius tamen conditionis cum tuis. nostra enim nedum eandem putrescendi ratio-

nem habent cum ligno, ſed lon-
gè procliuiorem, tua uero perpe
tuo decore fulgebunt. hinc eſt
quòd animo ſederit illud chalco-
graphis tradere ne turpem infa-
miæ notam cum abſcondentibus
theſaurum incurram: bonum
enim communicabile eſſe opor-
tet. Volui hæc ſcripſiſſe ne tam
audax uidear ut te inſcio tua ede
re auſim. ſed quia noui quàm mi
nima temporis intercapedine il-
lud abſolueris, ſermocinatio qui
dem noſtra a cœna, quam alle-
gas dum Romam tuæ patriæ ora
tor ad S.D.N. pro negotiis pu-
blicis urgentiſsimis peteres, fuit
pridie Non. iam elapſi menſis Ia-
nuarii, tranſmiſsio uero idibus
eiuſdem quod etiam quiſquam

ignarus ſupputator facillimè col
ligere poſſet, atque ita ut dum
de fungis ſermonem habes, fun-
gorum ortum opus ipſum imita-
ri uideatur. tanta itaque cum ſit
nobilitas animi tui, quæ abſque
ſpe ulla retributionis (extra ferè
omnem huius ætatis ſtylum) cui-
cunque liberaliter largitur, rogo
ad me tranſmittere non dedigne
ris ſiquid interim fertilitas inge-
nii tui ſuperexcogitauerit. Et
quia ſermo noſter ex carminibus
quæ prius edideram & excellẽtiæ
tuæ tunc propoſitis, ortus eſt;
uolui ea, qualicunque ſint, non
omiſiſſe & fæliciſſime ualeat.

Ex T. Addictum mancipium
Laurentius Zucc.

INDEX AVCTORVM,

qui citantur in hoc opusculo.

Aristoteles
Amatus Lusitanus
Ascensius
Antonius Thylesius
Antonius Mancinellus
Antilius Alemannus
Auicenna
Aetius
Anaxagoras
Albumasar
Alcinous Platonicus
Almadel Arabicus
Archestratus
Athenæus
Aristophanes
Albertus Magnus
Baptista Platina
Crateuas
Carolus Stephanus
Christophorus Encelius
Constantinus Cæsar
Dioscorides
Eudoxus
Galenus
Grapaldus
Gulielmus Placentinus
Georgius Pictorius
Gregorius Reischus
Gulielmus Rondeletius
Hippocrates
Hieronymus Cardanus
Hugo Solerius
Ioan. Picus
Ioan. Andernacus
Ioan. Philippus
Ioan. Michael Sauonarola
Ioan. Baptista Porta
Ioan. Rauisius Textor
Ioan. Valuerdus
Ioan. Baccanellus
Ioan. Brittanicus
Ioan. Stamlernus
Iuuenalis
Iaccbus Hallerius
Lucius Apuleius
Martialis
Martianus
Matthiolus
Melchicr Guilandinus
Marsilius Ficinus
Matthæus Siluaticus
Matthæus Aurogallus

Magnus Hermes
Nestor Dionysius
Nemith
Niceratus
Nebrisensis
Oribasius
Plato diuinus
Philoponus
Plinius
Petrus Bellonius
Paulus Aegineta
Porphyrius
Plutarchus
Plines Pythagoricus
Pythagoras
Philippus Vstaldius
Petrus Gillius
Psellus
Petrus de Abano
Petrus Cieza
P. Hieronymus Lilius
Quintianus
Rasis
Ruffus Areteus
Suetonius
Seuerinus Boethus
Sabellicus
Theophrastus
Theodorus Priscianus
Tarentinus
Terentius
Tibullus
Zarauius.

De Nomine Tuberis. CAP. I.



HILOPONVS in libro suo de doctrinis inquit, quòd præcipuus inter. ordines ille est, qui ab Ethimologia nominis auspicatur, maximéq; cum illud nomen Homonimon idest equiuocum, uel secundum Martianum pluriuocum est: ex quo ad euitandos errores qui ex æquiuocatione oriri solent, antequam ad ea deueniam quæ ad huiusmodi tractationem necessaria sunt, imprimis circa nomen Tuberis discerere uiribus incumbam: Itaque sciendum est quòd hæc uox Tuber nomen est æquiuocum cum pluribus rebus conueniat. Nam tumores omnes rotundi siue calli in quocunque corpore uel in qualibet corporis parte eminentes Tubera dicuntur. Terentius in Adelph. præterea colaphis Tuber est totum caput: Et Plin. lib. 8. cap. 18. ait. Tubera bina in dorso habent Cameli: & de istis etiam tractatur apud Medicos: Durities in arboribus extans ad calli præduri similitudinem Tuber etiã dicitur. Plin. reperitur & in Alno Tuber tanto deterius quanto ab Acere Alnus ipsa distat: Tuber etiã arboris est Genus poma ferẽs baccis quã malis similiora: de quo sic loquitur Pli. lib. 16. cap. 25. ab amygdala proximè florent armeniaca, deinde Tuberes & præcoces: illæ peregrinæ ihæ coactæ: huius fructus dicuntur Tuberes, de quibus suetonius in Domitiano ait. pridie quàm periret, cum oblatos Tuberes seruari iuss'

ſiſſet: Et Plin.lib. 15.cap. 14.ait. peregrina ſunt Zinziphar Tuberes, quàm ipſa non pridem Venere in Italiam hæc ex Aphrica, illa ex Syria. Sextus Papinius, quem conſulem uidimus, primus utraque attulit Diui Auguſti nouiſsimis temporibus in caſtrorum aggeribus ſata &c. et de iſtis ſatis intellexit Martialis, quando dixit in xenijs. Non tibi de libicis Tuberes & Apyrina ramis, de Nomentanis ſed damus Arboribus: Lecta ſuburbanis nittuntur Apyrina ramis, & uernæ Tuberes quid tibi cum libycis: Cyclaminos herba, de qua tractat Dioſc. lib. 2. cap. 155. etiam dicitur Tuber terræ: & Tuber dicitur radix rotunda in cœnis precioſa à Tuberoſitate dicta, quæ à Græcis dicitur Hydnon, uel Oednon ideſt inflatio & tumor, ut ait Carolus Stephanus in tractatu de cultura Hortorum: Ab Arabibus ramech, Alchamech, Tamer, & Kema: à Gallis truffle, uel deſtraffles, & à Delphinatibus tartifles, ut ait Hugo ſolerius in ſcholijs in lib. Actij: Et ſecundum Io. Andernacum in cõmento Pauli ægin. lib. primo cap. 77. à Gallis dicuntur truſia, & ab Italis tuneſta, tarenſola, & Tartuffi: à Germanis Hirez brunit, & ab Hyſpanis turmas de tierra: & ſecundum Amatum Luſitanũ in cõmento li. 2. Dioſc. enarratione 149. à Germanis dicuntur etiam Morchelen: & Ioann. Michael Sauonarola in praxi maiori tractatus 2. cap. 7. rubrica 13. uocat Tubera, & Tartufula: ex quibus poteſt cum Tuber eſt generis maſc. ſignificat pomum peregrinum. cum eſt generis fœmini eſt genus arboris: & cum eſt generis neutri, uel

significat duritiem in arboribus, uel cyclaminum, uel radicem rotundam esui gratissimam: quamuis sint, qui dicant Suetonium huiusmodi radicem fecisse generis mas. ubi supra sed meo iudicio errant, quia per Tuberes ibi intelligit poma peregrina, quæ Tuberes dicuntur: Notandum est etiam, quòd errant illi, qui dicunt quòd radix esui grata in genere neutro debeat dici Tuberum: quoniam tunc plantam non significat, sed flumen Carmaniæ nauigabile, ut ait Pli. lib. 6. cap. 23. præterea aduertendum est, ut aiunt Nestor Dionisius lib. 8. sui dictionarij, et Quintianus in Epographia 3. cap. 5. quod Tuber, dum est generis neutri, primam producit, syllabam: & dum est masculini, corripit: Aliqui dicunt. Tuber habere priorem breuem, dum est generis fœminini arborem significans. Nebrissensis uero, & Sabellicus apud Martialem lib. 13. ubi supra dixerunt Tuberes fœminini generis esse, et primam corripiunt.

De Figura, & Forma eorum. CAP. II.

LVcius Apuleius Phylosophus Platonicus, dixit. Consentaneum est, ut quum de aliqua planta dicere uolumus, post eius nominis explanationem, Figura & Forma describatur: scripturus ergo de Tuberibus post nomen eius declaratum eorum Formam, & Figuram describere rationabile esse duxi: Dioscorides .n. lib. 2. cap. 139. inquit Tubera rotundæ radices sunt sine caule, sine folijs flauescentes: Plin. lib. 19. cap. 2.

ait. Tubera uocantur hæc undiq; terra circumdata, nullisq; fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec utiq; extuberante loco, in quo gignuntur aut rimas urgente neque ipsa terræ cohærent, cortice etiam includuntur, ut plane nec terram esse poßimus dicere nequã aliud quàm terræ callum. siccis hæc ferè, & sabulosis locis fruticosisq; nascuntur, excedunt sæpe magnitudinem mali cotonei etiam librali pondere, et colore sunt nigro, & rufo, & intus candido: Ioann. Andern. ubi supra enarrans quæ dicit, Plinius dicit, addit Tubera esse sine medulla, uena, et cortice: Ascensius in cõmẽto quinto Satyræ Iuu. ait. Tubera sunt radices capitatæ, & inflatæ: & Matthiolus in commento proprij cap. Dios. uocat eorum corticem rimosum, & nigrum, & pulpam candidam, & pullam: Franciscus Marius Grapaldus lib. de partibus ædium lib 2. in cænaculo describit ea, ut Plinius, & Amatus lusitur, ut Dioscorides.

De colore Tuberum. CAP. III.

CRateuas inter priscos herbarios doctißimus dixit quòd in descriptione uniuscuiusque plantæ color radicum, foliorum, florum, & seminis describi debet ut differentias, exquibus multarum plantarum cognitio implicatur, inquisitor distinguere sciat: cuius præceptum obseruandũ, et post figuræ explanationem ad colorem deueniendum est: Vnde & si multi Doctores Tuberibus uarios colores tribuant, tamẽ

ego credo quòd proprius Tuberũm color, dum sunt immatura,& omphacina, sit pallidus,& dum sunt matura, sit pullus, qui colores ipsis natiui sunt, et naturales, nam cum generentur sub terra ex ui humoris eius, non possunt accipere nisi colorem terræ, qui proprie pullus dicitur. de quo colore sic scribit Antonius Thylesius in lib. de coloribus cap. 5. qualis uero sit pullus, ostendit terræ ipsius color, maior enim illius pars pulla est. Itaque quoniam ea mortuis inijcitur uoluerunt ueteres, ut qui lugerent pullis, palijs terræ similibus essent amicti &c. infra ait. nulla arte aut impensa color hic paratur, natura enim sic prouenit, unde quoque natiuus uocatus est : &c. unde Antonius Mancinellus in carminibus suis de coloribus sic cecinit.

Natiuus color est pullus, Marcellus ut inquit,
Pullati proceres qui pulla ueste teguntur:

Et Columella in prefat. lib. 1. ait. in alijs regionibus nigra terra, quam terram pullam uocant: Et Plin. lib. 17. cap. 4. ait. Nec pulla, qualem habet campana, ubiq; optima uiribus: pro nigro posuit pullum Columella, quando dixit lib. 10. atque oleris pulli radix, idest olus atri: Et Verg. lib. 3. Georg. ait. Ne maculis infuscent uellera pullis, idest nigris ait Seruius: Et Tibullus lib. 1. eleg. 3. ait. concidit ad Magicos hostia pulla Deos, idest nigra: Et Hyeronimus Cardanus lib. 17. de subt. de puello colore sic ait. pullus quasi incerti generis obscurior ferrugineo hic terræ inest quam uomere nuper uertit Agricola: qui color quo-

modo artificialiter fingatur in lib. de coloribus edocui: Et est notandum quòd hic color in Tuberibus fit à calore cum sit subniger. Nam ut ait Gregorius Reischus in sua Margarita Philosophica li.10.tract. 2.cap.8.frigiditas est mater albedinis, sicut calor nigredinis, ex actione enim calidi in humidum fit nigredo, & ideo Tubera esse calida,& humida omnino dicendum est,ut infra ostendam.

De Generibus Tuberum,ac speciebus. CAP. IIII.

CVm Genus ut inquit Seuerinus Boethus in Prædicabilibus Porphyrij sit principium speciebus,& plurimarum specierum in se collectiuum. Et ut dicit Porphyrius,Genus sit illud quod ad plurimas differentias specie distantes in eo quod quid sit prædicetur: ut species Tuberum sub Genere collectas agnoscamus,adhuc de Generibus Tuberum pertractare idoneum erit: Plinius ubi supra ait duo esse Genera eorum arenosa dentibus inimica,& altera syncera, distinguuntur & colore mœsto nigroq; et intus candido. Carolus Stephanus ubi supra ait duo Genera sunt Tuberum,unum,quod Cyclamen,uel Tuber porcinum dicitur medicinis,non esui aptum,alterum,quod hydnon uocatur esui gratum, & huius duæ sunt species una arenosa,dētibusq; inimica,altera syncera,bona,et suauißima colore luteo: Petrus Bellonius in lib.3.de hist. plant. cap.de Tuberibus dicit, quòd unicum est

Tuberum genus, sed species uidetur diuersa ob sexum. nam Tuber candidum est fœmella ex humido uaporoso generatum, & Tuber nigrum est masculus ex calido uaporoso ortum, sexus enim in plantis datur, ut ubiq; in libris suis de Plantis Aristoteles probat: Antilius Alemanus in lib. de Plantis, & Christophorus Encelius lib. de Germinibus terræ inquiunt, quatuor esse genera Tuberum, nam aliqua sunt subrusta nigro cortice & gustu iniucunda: alia sunt candido nigro cortice, & insipido: alia sunt cinerea nigro cortice, & sapidiora alijs, & alia sunt nigra, cortice etiam nigro ac crispo aromatica sapore dulci & admodum sapido cæteris præstantiora, quæ magnetibus maximopere in cænis expectantur: Ego uero dico, quòd omnium Tuberum commestibilium unum est genus, tum quia eorum unica est generatio, quorum enim unica, & eadem est generatio, unicum fit genus, ut communiter tenetur in disciplina Peripatetica: tum etiam quoniam Dioscorides, Galenus, Oribasius, Auicenna, Aetius, Paulus Aegin. Rufus Aret. & Rasis unicum describunt genus: dico tamen quòd species eorum secundum locum regionis, ubi generantur uel in colore, uel in sapore diuersificantur, ut in sequentibus patebit:

De ortu, & Generatione eorum.
CAP. V.

EVdoxus lib. primo de rerum generatione cap. 4. scriptum reliquit, inter ea, quæ in philoso-

phia naturali ſpeculantur, illud eſſe utilius, quòd nos in cognitionem generationis rerum perducit. Vnde cum in hoc libro de tuberibus pertractare intendam, utiliſsimum erit, ac perbelle eorum ortum, ac generationem inueſtigare, atque perſpicere: & quoniam de eorum ortu diuerſi diuerſa enarrant, in primis uarias opiniones recitabo, poſtea meam ſententiam ex intimis laribus philoſophiæ extractam adducam: Doctiſsimus Plinius ubi ſupra inter alia miracula Tuberum ortum connumerat, cum naſcantur, & uiuant ſine ulla radice ſiccis fere & ſabuloſis locis, frutetoſisq;: & infra dubitatiue loquendo inquit, an ne uitium id terræ? neque enim aliud intelligi poteſt malum ne id ea protinus globetur magnitudine, qua futurum eſt, & uiuat ne, an non, haud facile arbitror intelligi poſſe, putreſcendi enim ratio communis eſt ijs cum ligno: & infra ait. quo manifeſtum erit terræ naturam in ſe globari quod certum eſt ex ijs, quæ naſcuntur, & ſeri non poſſunt, & cap. 3. eiuſdem lib. ait cum fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra tunc naſci, et maxime, è tonitribus, & infra ait. quibuſdam locis acceptantur riguis, & ſeruntur, ſicut Mytilenis negant naſci, niſi ex inundatione fluminum inuecto ſemine ab Tiaris, eſt autem is locus, in quo plurima naſcuntur: Franciſcus Marius Grap. ubi ſupra ait. naſcuntur in locis ſiccis, ſabuloſis, ac fruticetis ſine radice optima per uer, & tonitribus frequentiora. Baptiſt. Platina Cremenſis lib. 9. quando loquitur de obſonijs loquens de Tuberibus ait. imbribus autumnalibus, & tonitribus crebris

nascuntur, Amatus Lusit. ubi supra ait. parit intra se Tubera tellus sine caule sine folijs, alijs ue agnatis. Christophorus Encelius ubi supra ait. quòd Tubera generantur ex pituita arborum, nam tonitruis cum imbre existentibus pituita illa colligitur & sic ex tumentibus, & quasi prægnantibus arenis radix esui gratißima generatur: Ioann. Andernacus ubi supra ait, quòd Tubera ex terræ sagina conglobantur: Ioan. Philippus de lignamine lib. de sanitate tuenda ad Sixtum. iiij. Pontificem cap. 91. de Tuberum generatione ait. quoddam genus Tuberum uerrucosum in magnitudine testiculi uerrucas habens profundas oritur in arenosa terra: & infra generaliter loquens in eodem cap. inquit. Tubera oriuntur circa medium Autumni prius alba intus deinde nigrescere circa hyemem, & quando sunt intus perfectæ nigredinis circa principium ueris putresiunt, et in uermes conuertuntur: & in fine cap. ait. quoddam genus Tuberum oritur in planitiebus, & pratis, & incipiunt oriri circa medium ueris, & odorem, nec dulcem saporem habent. solo temporis calore reperiuntur, odorifera autem, & sapida non nisi tempore frigido ab autumno usque ad ueris principium reperiuntur: Matthiolus ubi supra referens eorum ortum ad occultam terræ facultatem inquit. terra occulta quadam facultate in se parit, & conglobat Tubera: Nonnulli aiunt quòd Tubera generantur contra naturam ex perfidis ac uiscidis terræ humoribus. Et ideo Georgius Pictorius tertio Dialogorum de sanitate tuenda, dicit. Tubera, & fungos

esse terræ lepram: Ego *autem his uisis eorum genera tionem sic uenari aggredior:* Est *igitur considerandum, ut ait* Arist. *lib. primo. de* Plantis, *quòd initium quoque plantarum alimenti è terra quoddam & rursus aliud fructuum generationis à sole est, sed &* Anaxagoras *dixit, quòd eorum humiditas è terra est, idcirco ad lechinium aiebant, quòd terra mater esset plantarum, sol pater:* Et *lib. 2. cap. primo ait in uniuersum quæuis planta quatuor quibusdam indiget, semine terminato, loco conueniente, aqua moderata, & aere consimili: & in fine eiusdem cap. ait.* Herbæ *autem omnes, & quicquid super terram crescit & in terra ex aliquo quinque istorum prouenit, & sunt semen, aquæ humor, locus idoneus, aer, & plantatio:* Porphirius *lib. 4. de rerum generatione cap. 17. inquit. cœlum, & terra, calor, & humidum omnia generant.* Et Plutarchus *in lib. de anima mundi inquit, cœlum per lunam, & solem, & terra per aquam omnia generant, & producũt, & hoc uoluit intelligere* Albumasarum *in sadan quando dixit. post* Deum *uita uiuentium sol, & luna: his stantibus dico, quòd ad* Tuberum *generationem hæc omnia concurrunt. scilicet. sol, aer, calor, luna, terra, semen terminatum, locus conueniens, & humor aquæ: terra concurrit ad eorum ortum, ut mater omnium plantarum, & ut datrix seminis terminati ob facultatem sibi à natura insitam in loco conuenienti scilicet in montibus, & collibus, & locis frutetosis, sabulosis & siccis:* Aer *concurrit ob tonitrua quæ in eo fiunt, & ob qualitatem, quam omni rerum*

generationi exhibet. aqua, ut datrix humiditatis: Lu*na, ut imprimens humiditatem: sol concurrit, ut dator caloris ad animam suscipiendam uegetatiuam:* Et *caelor concurrit, ut fames coagulans omnia ad eius generationem necessaria: ex quibus sic generantur.* Vis *insita in loco conuenienti terrae, parata ob solis calorem & agitata ob tonitrua, & imbres suscitat calorem putridum ex quo* Tubera *fiunt, calor enim putridus (ut ait* Hieronymus *card. lib. 8. de subtilitate circa finem dum terreum humidum secernit, radices gignit sine germine, quae* Tubera *uocantur, contraria ratione cum frigidam, & humidam, tenuemq; materiam concoquit, germina sine radicibus emittit, quae fungos appellamus, et ob id omnes fungi sunt* Tubera*, sed non econtrario:* Vnde *ille calor putridus cum genuerit radices illas tum ob calidum aestuans putride cum etiam propter humidum multum ob imbres recceptum in principio facit albas, & inodoras, ueniente autem frigore ob recentratum calorem magis aestuantem nigras, & odoratas perficit: ex quibus omnibus dicere possumus in* Tūberibus *esse ueluti in alijs plantis quatuor elementa:* Nanque Diuus Ambrosius *in* Hexameron *lib. 3. cap. 14. inquit, omnes plantas constare ex quatuor elementis, cum sint corpora genitalia: quae quidem in ipsis esse sic compraehendere possemus: in* Tuberibus *quinque sunt, cortex scilicet, pulpa, humiditas, odor, & color.* Cortex *fit ex terra, fit enim ex frigido, & sicco: pulpa habet duas partes crassam, & tenuem, crassa constat ex terra, tenuis fit*

ex aere: humiditas fit ex aqua: & odor, & color ex igne: quibus omnibus paratis ad generationem eorum per terram cohærent, per aquam se diffundunt, & per aerem, & ignem plantæ fiunt: sed est aduertendum quòd si attendimus ad partes integrales à prædominio sunt terrea, si uero ad partes uirtuales, & ad qualitatum gradus respicimus, habent uirtutes ab alijs elementis, quæ faciunt qualitatem in ipsis calidam, & humidam, ex quibus notari potest omnes plantas à prædominio esse terreas, quo ad partes integrales: quo ad non partes uirtuales nonnullas esse calidas, siccas, frigidas, uel humidas in primo 2.3. & 4. gradu: & sic generantur Tubera. De quibus Dominus Hieronymus Vgolinus Fulginas utriusque iuris Doctor sic loquitur, ubi introducit Tubera ipsa alloquentia.

Stipite me uideas quamuis me fronde carentem
  Floribus, & fructu me sine seminibus.
Lympha tamen tellus, aer, Natura, polusq;
  Corpus concordes progenuere meum.
Quæque salutifero depasco membra sapore,
  Fert meus omne bonum gratus odoris odor.
Sacri hinc pontifices, Reges, hinc orbe potentes
  Percupiunt mensas me decorare suas.

Vtrum Tubera seri poßint. CAP. VI.

DVm hæc scriberem quæsitum fuit ab Antonio Fratre meo nunquid Tubera seri poßint? cui ego respondens quòd sic, statim ambigendo dixit. quo

modo seri possunt si caret, semine & alijs notis, quibus præditæ sunt cæteræ plantæ, quæ continuo seruntur? Vnde cum ego profitear uera axiomata ab lydium lapidem semper promulgare meam sententiam ita enucleatam in medium afferre incœpi: Scire debes Charissimè frater, quòd binæ sunt plantæ, quæ nec caulem, nec folia, nec florem, nec semen, neque fructum producunt. & sunt Tubera, & fungi. Et istas plantas seri posse firmiter teneo. Nam Alcinous Philosophus Platonicus lib. 2. de natura rerum cœli, & terræ cap. xi. de plantarum natura, & constitutione ait. omne natum ex terra à quacumque causa alibi ad naturæ bonum quoquo modo sationem patitur: Et Plines Pythagoricus lib. 3. de occulta magia cap. xx. dum loquitur de odio, & amore plantarum ait. plantæ quas sine semina terra progignit, & si odio, & amore careant, nihilominus seruntur, & sata sibi similia producunt. Omnis enim plāta iuxta uiam naturæ seri potest, dicebat Pythagoras: Vnde, his stantibus, ac perspectis, has plantas seri posse firmiter tenendum est, quod autem fungi serantur, ex his patet: Dioscorides lib. primo cap. 93. de populo alba, & nigra, de satione fungorum hæc ait: memoriæ prodiderunt corticem albæ populi & nigræ particulatim, cæsum, & sulcis stercoratis mandatum, omni tēpore anni edulos fungos proferre: quam sationem etiam affirmat Ioan. Baptista Porta Neapolitanus lib. 2. de miraculis naturæ cap. primo. Et Constantinus Cæsar lib. selectarum præceptionum de agricultura cap. 41. ut fungi fiant hæc ex Tarenti

no dicit, Populum nigram desecato & in ipsam amputationem trunci stantis in terra fermentum aqua dissolutum infundito, & statim prouenient fungi populei ægiritæ appellati. si uero & ex terra fungos tibi produci uelis, eliges terram montanam raram arundinem, & sarmenta ferre solitam, & omnia, quæ facile comburuntur coaceruata incendes, quum nubilosum aerem esse uideris, ut uidelicet hymber incumbat. sic enim sponte nascentur fungi; si uero constructa iam pyra hymber non succedat, aqua pura ignitos locos irrorabis ualde rarenter ad hymbrium uidelicet imitationem, & nascentur fungi quanquam deteriores. meliores enim sunt ex hymbribus connutriti. quam etiã sationem affirmans Hieron. Cardanus lib. 13. de subtilitate ait. fungos habebis cum sarmentis inuentis pluuia superuenerit, uel si non succedente pluuia aquã super reliquias ustorum sarmentorum sparseris. aliter populum nigram excide, et in illius frustra aquam cum fermento infundè: nam qui sic nati fuerint fungi, uix mali esse possunt: Et Philippus Vstaldius lib. de sensibilibus cap. 33. ait. quòd Neapoli ex quodam lapide fungi generantur, quod etiam affirmat Matthiolus in commento lib. 4. Diosc. ca. 78. sic inquiens. Neapoli inuenti sunt lapides, qui defossi, & in cellis uinarijs translati terra aliquantulum operti, & subinde tepida aqua inspersi intra quadriduum fungos non ingratos procreant, hos & Romæ, & Neapoli uidimus &c. quod etiam Romæ se uidisse mihi affirmauit Honorandus Socer meus pater carißimus Franciscus

Ciccholeus uir prudentißimus, ac fidedignus, cui tantum debeo, ac si essem eius filius naturalis: ex quo cum fungi seri aliter poßint, Tubera etiam inter sata ponenda omnia minime dubito, & tanto magis huius sum opinionis, quòd etiam Plinius lib. 19. cap. 3. asserit seri posse, dicens, quibusdam locis acceptantur riguis, & seruntur sicut Mitylenis, negant nasci nisi exundatione fluminum inuecto semine ab Tiaris, est autem his locus, in quo plurima nascuntur &c. quomodo autem & qualiter serantur Tubera inferius edocere enitar: sufficiant pro nunc dictæ auctoritates, & locus Plinij qui clarus est.

De locis, ubi nascuntur. CAP. VII.

NIceratus Antiquus Herbarius scriptum reliquit considerationem locorum ortus plantarum non pauca ad earum cognitionem afferre commoda, cum ex loci inspectione ut plurimum in signa præcipua notitiæ temperaturæ deueniamus. Quapropter ut perfecte naturam, et complexionem Tuberum agnoscamus, loca, ubi nascuntur, scire perutile erit: Sciendum itaque est bina esse loca, ubi omnes plantæ enascuntur, quorum unus est consimilis, & Naturalis, alter uero locus denominatus prouinciæ, uel ciuitatis, uel oppidi: locus consimilis, & naturalis Tuberum est terra sicca, sabulosa, frutetosa, ac multum terrena, quod explanauit Plinius, quando lib. 19. cap. 2. dixit, siccis hæc fere, & sabulosis locis, frutetosisq; nascun-

tur: Et Sauonarola ubi supra dicit, Tubera enascuntur in locis aridis, & siccis, et multum terrenis: loca uero denominata ex his patent. Pli. ubi supra inquit Tubera laudatissima sunt, quæ in Africa crescunt, & cap. 3. eiusdem libri ait, in Tiaris autem plurima nascuntur, ob scilicet fœcundam aptitudinem consimilis aeris, & loci conuenientis: Baptista Platina ubi supra ait. Carnosiora putantur quæ in Cyrenaica nascuntur, suauiora, quæ in Thracia, nobilissima quæ circa Damascum in Syria, & Olympum Græciæ putantur: Ioa. Rauisius textor in sua Cornucopia ait. Asiæ nobilissima extitere circa lampsacum, & Alopeconesum, Græciæ uero circa Elidem, præstant Africana: Hugo Solerius ubi supra inquit. nusquam gentium, opinor eorum maior uberiorue prouentus quàm apud Delphinates: Nascuntur etiam, ut inquit Matthiolus ubi supra numerosa in Hetruria, et etiam in Ananiēsi, & Tridentino tractu quæ sunt gustu iniucundo, & insipido ob dissimilitudinem aeris, & loci, nam ibi est materia apta ad Tubera, sed locus est improprius & Aer dissimilis: Nascuntur etiam in his locis in agro Romano non ita bona eo quia aer est crassus, & locus est senticosus, ac humidus: In agro Meuanati in sylua sancti Ioan. Launterij, in Piceno prouincia, & præcipue in agro Mag. oppidi Serræ Comitum in Nemore, quod Incolæ Farnetum uocant ad quod uisendum me contuli simul cum Dominis meis Hon. Domino Syluio Cyno V. I. D. & Domino Ioanne Honorato uiris nimirum inter alios illius oppidi incolas erudi-

tissi-

tißimis: in qua silua plurima nascuntur ad pondus unius libræ & sunt boni saporis: laudatißima omnium in Vmbria oriuntur pluribus in locis: at illa quæ in agro Spoletino excauantur sunt omnium suauissima, odoratißima, & optima, qualia fuerunt illa quæ in domo tua, dum elapsis his diebus urbem peterem, in fertili cæna comœdi una cum egregio ac strenuo Capitaneo Vincentio Boscho mihi omnium carissimo, & Francisco Alberico cognato meo: in quamplurimis alijs locis nascuntur quos recensere longum esset.

De eorum electione. CAP. VIII.

Ex doctrina Discoridis deduci potest quantum importet eligere optimam plantam, in cuius electione & quo ad locum ubi nascitur, & quo ad partes perfectas, quas in se continere debet, considerari opus est: quapropter, ut omnia circa tubera declarentur, eorum electionem edocere cōdecens erit: Auicenna enim lib. 2. can. tract. 2. cap. 698. inquit meliora eorum sunt arenosa alba in quibus non est odor malus: quam electionem Ioan. Philippus ubi supra & Gulielmus Placentinus de Saliceto in ultimo cap. suæ practicæ approbant: Sauonarola autem ubi supra iubet ut eligantur magna, rotunda, alba nata in loco arenoso & in quibus non sit odor malus: nunc uero temporis ea probantur quæ sunt rotunda, mediocria, non tuberosa, foris & intus nigra, pondero-

sa, sincera, odorata, dulcia, gustuq; suauia & nata in Vmbria & praecipue in agro Spoletino & sint collecta in fine Autumni & per totam hyemem. Et nullus admiratione afficiatur, si tubera in omnibus locis nata non sunt eiusdem perfectionis & bonitatis, quoniam plantae uariantur & mutantur secundum regiones & loca. & hoc latius probat Melchior Gui landinus Borussus in de stirpibus in epistola ad Conradum Gesnerum ex auctoritate Theophrasti & Plinij ubi sic inter alia dicit: radices enim plantarum dissimilibus saporibus a terrae proprietate perfici, uti etiã in fructibus euenire uidemus, credendum omnino est. si enim radices arborum aut uitium aut reliquorum seminum non ex terrae proprietatibus succum capiendo ederent fructus uno genere essent, in omnibus locis & regionibus omnium sapores. Et infra ait. si terra generibus humorum non esset dissimilis & disparata in omnibus terrae regionibus & locis eodem genere omnia procrearentur, has autem uarietates regionibus & locis inclinatio mundi & solis impetus proprius aut longius cursum faciendo tales efficit terrae humores, quas qualitates non solum in his rebus sed & in pecoribus & armentis discerni notius esse autumo &c. & sic non mirum est si tubera uaria sunt in diuersis locis & regionibus.

De Tuberum satione. CAP. IX.

VT nihil intactum circa istam tractationem relinquam, sationem tuberum & a fide dignis & ab auctoribus perceptam docere conabor, & postmodum meam sententiam circa hoc in medium adducere non uerebor. a quamplurimis ueridicis uiris accepi quòd tubera nascũtur si aqua in qua per diem naturalem tubera maduerint in loco consimili pluries aspergatur. Almadel Arabicus philosophus li. 3. de Arcanis naturalis magiæ ubi etiam docet artificialiter multa animalia procreari ca. 6. postquã locutus est de fungorum satione sic docet tuberum sationẽ: Accipiantur tubera uermiculosa & putrida ad umbram exiccata & liquor ab ulmis stillatitius siccus ad pondus æquale & fiat puluis qui cum melle permisceatur & sic stet per mensem, postea illa mixtura in Autumno in loco apto subhumetur & locus pluries irroretur tuberum infuso & inuenies futuro anno tibi tubera quæ nunquam deficient in eodem loco. Quæ sationes etsi ueræ sint ut ipsi inquiunt, tamen ego crederem sationem hoc modo peractam esse tutiorem: acciperem enim tubera simul cum terra iam iam effossa & ea minutatim inciderem & cum eadem terra miscerem, postea in loco consimili subhumarem in Autumnali tempore & pluries rorarem locum cum decocto tuberum ut terra illius loci melius uim gignitiuam susciperet. & sic pro certo tenerem tubera esse nascitura: & siquis hoc secretum naturæ paruifacit, obsecro ut animad-

uertat quæ dixi in 6. cap. & sciat multum maiora, & miraculosiora inueniri quæ fiunt per magiam naturalem: magis est enim miraculosum animalia arte procreare ut habetur in Nemith libro Platonis, in conuiuio 3. Georgij Pictorij, in libro 2. magiæ naturalis Ioan. Baptistæ Portæ cap. 24 & in lib. 4. de secretis abditarum rerum Petri de Abano cap. 10. & ostrea serere ut narrat Gulielmus Rondeletius secunda parte de Piscibus lib. primo cap. 37. ubi dicit. Petrus Gyllius uir eruditus & fide dignus affirmat se de uiris non paucis spectatæ fidei accepisse Bizantinos ostrea serere & eorum quasi lac seminare: idipsum enim in aquam abiectum ad saxa ima adhærescere & ostrea fieri, sic ex decocto fungorum in terram proiecto fungi enascuntur &c. quæ secreta miraculorum cum a me abunde sint enarrata in lib. 6. de Arcanis rerum naturalium propterea nunc omittam: hactenus de satione.

De eorum temperatura. CAP. X.

CVm ex doctrina Galeni lib. primo de simp. med. fac. omnium simplicium facultates exquisite cognoscere quum ad uariorum compositionem tum ad inuentorum opportunum usum admodum necessarium sit, ut perfecte naturam tuberum noscamus temperiem eorum declarare in hoc capite per idoneũ erit. ubi adductis aliorum sententijs meam etiam recitare non erubescam. Galenus lib. 8. de simp. med. fac.

dicit Hydnon, id est, tuber carne substantiã habet uincentem terrestrem quidem sed cum paucula tenuitate permixtam: quod etiam confirmans Aetius sermone primo ait. tubera terream substantiam prædominantẽ poßident, modica tenuium partium ammixta: Paulus Aegineta lib. primo cap. 77. ait. tuber humores de se reddit qualitatis expertem sed frigidiorem & craßi succi: Oribasius lib. 4. Synops ad Eustathium filium cap 32. connumerat tubera inter res quæ refrigerant: et lib. secundo collect. med. cap. 24. dicit tuberibus nulla perspicua qualitas inest, ipsis tamen ad condimenta excipienda utuntur sicuti cæteris quæ ad gustum qualitatis expertia & aquea nominant &c. quod etiam probat Galenus li. secundo de alimentorũ facultate Rhaze ait tubera frigida sunt & crassa: Auicenna ubi supra ait. tubera sunt ex substantia terrea plus & aquea minus & in ipsis est aeritas & subtilitas pauca & sunt priuata sapore. Non nulli dicunt quòd tubera aromatica & nigra sunt calida propter id quod nix super ipsa facile liquescit & parum durat neque herbæ iuxta ipsa oriuntur & quod natura sua propter caliditatem coitum incitant: sed Ioan. Philip. ubi supra ait quòd omnia tuberum genera frigidæ sunt complexionis, sed tuber bonum propter aromaticum odorem & dulcem saporem minus ad frigiditatem declinare uidetur & magis temperamento appropinquare. Sauonarola autem inspiciens omnes præfatos doctores ubi supra circa eorum temperaturam sic discurrit, hæc inquiens, de tuberibus

sive tartufulis nondum inueni complexionem determinatam. nam cum oriantur in locis aridis & siccis & multum terrenis uidetur quòd debent esse sicca & terrea frigida cum locus & locatum debeant esse similia. Item ponunt multi ea frigida & humida ut Iesus Zarauius Baldach sub uocabulo chemi uel dieme: ex alia parte uidentur calida quoniam ubi nascuntur non potest stare uel durare nix. quod non uidetur nisi ab eorum caliditatem prouenire. Item prope ipsa non ponitur herba. Ego autem credo quòd sint frigidæ complexionis & humidæ in primo quia sunt de natura uel specie fungorum qui humidi sunt & frigidi usque ad tertium: secundo quia omnes auctores conueniunt quòd ipsorum nocumentum remouetur præparando ea cum rebus notabiliter calidis ut pipere &c. quod non ex alia causa facimus nisi ut excessum eorum in suis malis qualitatibus remoueat, ut de alijs supra quod fit cum his quæ sunt contraria. Item dicit Auic. quòd in eis est subtilitas & acrcitas pauca. itē dicit, ex eis timetur paralysis & apoplexia & faciunt colicam. ergo ex effectibus suis arguemus ipsa frigida & humida. & infra ait: sed quæreret aliquis in quo gradu sunt frigida: dicendum puto quòd cum plus ab auctoribus laudentur quàm fungi quòd ipsa non debent in suis qualitatibus tantum excedere ut fungi & ideo credo ipsa collocanda esse inter frigida & humida in secundo & sunt minus humida quàm frigida. nam dicit Auicenna: sunt ex substantia terrea & aquea nimis. & ista sententia est uisa meo iudicio

grata Iesu & Azarauij ut in Baldach in cap. de oleribus, dixit Galenus quòd si miscentur species calidæ cum eis efficiuntur calida si frigidæ frigida, & subdit quòd sanguis generatus ex eis est grosior temperato. ex quibus uerbis uidetur concludi quòd essent temperata aut a temperamento minus distantia. Hæc Sauonarola. Horum opinionibus uisis dico quòd tubera sunt calida in primo & humida in secundo calida tum propter aromaticum odorem & saporem dulcem, tum etiam propter nigrum uel pullum colorem: & etiam propter ipsorum saporem & odorem penetratiuum: nam oua cruda posita per diem naturalem inter tubera adeo eorum odore saporifico imbuuntur ut uix comedi posint. & hoc prouenit ex eorũ calida temperatura, ex qua effumat uapor ille calidus qui propter eius partes tenues & calidas oua ingreditur: & humida propter succosam illam humiditatem ex qua causatur uentositas: & istam temperiem in suis partibus æqualem posident ut infra ostendam.

De tempore quo sunt effodienda CAP. XI.

Dioscorides ubi supra ait quòd uere offodiuntur: quod etiam Iuuenalis affirmat in satyra V. quando dicit. raduntur tubera si uer tunc erit &c. ubi ego facio glosam super uer: nam non intelligo per uer his in locis proprium ueris tempus declinans. s. ad æstatem sed principium ueris quia tunc ob frigiditatem hyemis perfecte sunt maturata: nam tunc

sunt nigra & tenerrima. Et ideo Plinius ubi supra cap. 3. ait, ultra annum non durant, tenerrima enim uerno esse. Et Baptista Platina ubi supra ait, ultra annum non durant & teneriora habentur uerna: statim enim transacto hyemali tempore incipit uer & tamen per aliquot dies etiam frigus durat, superueniente uero calore tunc putrescunt penitus & in uermes conuertuntur ut ait Ioan. Philippus ubi supra.

Quomodo & quando sunt comedenda CAP. XII.

DIoscorides ubi supra ait. quòd cocta & cruda eduntur. Galenus lib. 2. de alimentorum facul. & Oribasius ubi supra aiunt quòd sunt condenda ut qualitatis expertia: Auicenna ubi supra dicit & illa quidem quæ elixantur post excoriationem & scissionem cum cultello cum aqua & sale, deinde coquuntur cum oleo et Almuri & speciebus condientibus aut Altit sunt meliora: Almuri apud Arabes est salsa & Altit est Assa: Rhaze ait. neque etiam absque caliditatis sunt edenda condimentis. Archestratus opsonatorum princeps, referente Athenæo, in libro suo de coquendis opsonijs inquit quòd tubera postquam in aliquo pingui iure percocta fuerint, cinamomo, zingibere & sale sunt condenda & semper in fine mensæ edenda. Ioan. Philip. ubi supra ait quòd cum sale & aromatibus condiri debent: Sauonarola ubi supra ait: remouetur nocumentum eorum si prius excorticantur & scindantur cum cultello & elixentur

& præparentur, deinde ſlue decoquantur cum oleo, ſale, pipere aut alijs ſpeciebus odoriferis ut fit de fungis: aut decoqui poſſunt in uino cum his ſpeciebus & generabitur inde nutrimentum groſſum non malũ, unde uinũ purum eſt eis theriaca: quidam decoquunt ea ſub cineribus & præparant cum oleo, ſale & pipere: quidam condiunt cum carnibus pinguibus & eſt laudabile cum ſpeciebus. Baptiſta Plat. ubi ſupra inquit tubera uino lota ſub cinere calido coquuntur, cocta & munda ſaleq; item ac pipere aſperſa calida adhuc conuiuis poſt eſum carnium apponi debent: nunc uero temporis ut plurimum ſub cineribus coquuntur calidis, poſteaq; emundata oleo dulci, pipere & ſale condiuntur: acredineq; pomorum aurantiorum rorata in fine menſæ ponuntur edenda.

Vtrum ſint boni uel mali ſucci. CAP. XIII.

GAlenus lib. ſecundo de alimentis inquit. tubera nullam qualitatem habent inſignem, craſſum autem alimentum largiuntur: Paulus Aeg. ubi ſupra ait quòd generant craſſum ſuccum: Oribaſius ubi ſupra dicit quòd generant frigidum & craſſum ſuccum: Et lo. primo Euporiſton ad Eunapium cap. 19. connumerat tubera inter alimenta craſſi ſucci: Rhaze ait. tubera phlegma generant crudum: et Pſellus lib. primo de ratione uictus reponit tubera inter ea quæ crudos humores generant: Auic. ubi ſupra ait tubera ſunt groſſa ualde & præbent nutrimentum

grossum melancholicum & non appropinquat eis in hoc aliquid, sunt tardæ digestionis impedientia grauantia stomachum grossi chili: quod etiam confirmant Ioan. Philip. et Gulielmus Placentinus ubi supra. Sauonarola autem discurrens super hoc ait. sunt tardæ digestionis impedientia seu grauantia stomachū grossi chili. Auicenna dicit Galenum dixisse ea non esse mali chili. & ipse non consentit in hac parte sibi, unde ego potius adhæreo Auicēnæ quàm Galeno & parcat Galenus. Stantibus his multi eliciunt esse mali chili: certè isti sunt bonæ opinionis cum se fundent in auctoritate doctorum, qui si sequuti essent rationem quæ iudex est naturæ & instrumentum Dei ut dicebat Magnus Hermes, alterius sententiæ fuissent: et propterea ego contrarium tenens distinctiue loquendo dico quòd quando tubera sunt immatura & generata in loco dissimili suntq; iniucundo gustu & insipido generant crassum & crudum alimentum, sed quando sunt perfectè matura ueluti sunt quæ nascuntur in Vmbria ut diximus de eorum electione generant bonum alimentum & sunt boni chili. Et hanc meam sententiam sic probo: Apollineus senex Hippocrates lib. de affectionibus loquens de boni ac mali cibi cognitione inquit: Quæcunque neque flatum faciunt, nec ructum acidum, nec tormen, neque morsum, neque repletionem neque ualde per aluum secedunt, neque ualde resiccantur & celerrime coquuntur & concocta secedunt, & per omnem diem in uentrem ingesta minime molesta sunt, etiam si diu ante

non fuerint ingesta, ea utilia sunt: a corpore enim talia immutantur, ad sanitatem optima sunt quæ modice ingesta sufficiunt, ut et fames & sitis sint medela & plurimo tẽpore corpus ipsa suscipit & pro ratione secedunt. Ioan. Valuerdus Hamuscensis lib. de animi & corporis sanitate tuenda quando docet dignoscere bonum & malum cibum inquit. in genere uero salubrem cibum facillime his dignosces indicijs, si ori gratus sit, si ex quotidie consuetis præcipue, si per quatuor aut per quinque horas in uentrem ingestus, nihil prorsus corpus immutat uiolentum aliquid inferens, & si nullius qualitatis excedentis sit particeps &c. & infra ait. aliquantulum dulcia præcipue si compactæ sint substantiæ maxime nutriunt. Aristoteles lib. secundo de sanitate tuenda cap. 9. ad Alexandrum Magnum inquit quòd appetens sapor & Aromaticus odor sunt signa optimi cibi. Et Marsilius Ficinus lib. de triplici uita quando loquitur de sanitate tuenda ait quòd salubris cibus est ille qui temperatam aromaticitatem habet & ori sapide gratus est: his stantibus dico quòd cum tubera aliquid prædictorũ malorum non inferant & ori sint grata & habeant aromaticitatem & auide appetantur sunt boni succi & alimenti. quod considerans Galenus in ipsis lib. de Euchimia & Cachochimia ait. tuber leniter crassi non mali succi est. Et Psellus lib. primo de ratione uictus ad Costantinum Imperatorem enarrans stomachicha & confirmantia ponit inter ea tubera, scilicet nigra & odorata quoniam omnia odorata stoma-

chum confortant & confirmant. Et ideo Ioan Philippus ubi supra dicit tubera non sunt malorum humorũ generatiua ut ait Galenus. quod suaderi potest propter eorum aromaticitatem & dulcedinem saporis, in quorum esu nunquam auditum est ab aliquo quod intulerint nocumentum. Neque est audiendus Martialis qui præponit Boletos tuberibus quando dixit in xenijs,

Rumpimus altricem tenero de cortice terram,
Tubera, boletis poma secunda sumus.

cum Iuuenalis qui floruit sub imperio Traiani præponat tubera boletis & multis alijs cibis preciosis sic dicens satyra XIIII.

Conceditiuuenis qui radere tubera terræ
Boletum condire, & eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

Et satyra quinta ostendens tubera fuisse in pretio introducit Aledium equitem Romanum dicentem post cœnas optime paratas esse apponenda tubera sic dicens,

Fumat aper, post hunc raduntur tubera, si uer
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas
Maiores, tibi habe frumentum Aledius inquit
O Libye disiunge boues dum tubera mittas.

Ex quibus elici potest ista nostra tubera odorata & nigra apud priscos fuisse cognita.

Vtrum ex eis morbi generentur. CAP. XIIII.

AEubertus Rhaze ubi supra ait. quæ autem ex eis ruborem habent mala existunt, quorũ multa commestio colicam generat. Et Auicenna ubi supra inquit. quæ ex eis sunt, sicca deteriora sunt humidis, timetur ex eis paralysis & apoplexia & faciunt incurrere colicam & difficultatem urinæ & eorum quidem theriaca sunt uinum purum & condientes species. quæ omnia etiam confirmantur a Ioan. Philip. ubi supra. Et Gulielmus Placentinus ubi supra inquit. ex usu ipsorum in commestione timetur paralysis uel melancholia aut lepra, uel apoplexia, & sunt tardæ digestionis grauantia stomachũ grossi chili & mala repræsentantia somnia: Et Ioan. Baccanellus lib. secundo de consensu med. in curandis morbis cap. de paralysi enumerat tubera inter ea quæ paralytidem generant. Et Sauonarola ubi supra dicit. tubera ultra colicam inducunt stranguriam , ideo nobiles qui in eis delectantur quia sunt res rara ideo cara, deberent non uti, sed eis abuti cum in eis nullum reperiatur iuuamentum & propter ipsos me in eis tantum extendi, nam ad malum finẽ utuntur, timeant Deum &c. Hæc Sauonarola. Quamuis auctoritas istorum doctorum sit maxima, tamen ego aliter sentio & diuisiue loquendo dico ꝙ perfecta & optima tubera non possunt morbos generare, sed bene illa quæ sunt praua genita sub arboribus & in terra mala ut ait Auic. qualia fuerunt illa quæ uidi in domo domini mei

honorandi D. Ioan. Petri Rosarij a Spoleto de mense Martij: nam erant deforis et intus alba ac fœtida nata in argillosa terra. & de istis intellexere Auic. lib. 4. fen. 6. tract. 1. cap. 10. ubi uocat tubera mala. Et Petrus Aponensis cōciliator in lib. de uenenis cap. 42. quando dixit. et si odorauerit malum fungum & tubera mala patietur & epilepsiā & fortaßis morietur: & ideo non sunt odoranda tubera putrida & marcida quia sunt mali odoris, nec edenda quoniam generant prauum succum.

Vtrum tubera sint radices, fructus, uel planta. CAP. XV.

ARistoteles lib. primo de plantis cap. 3. quando loquitur de differentijs plantarum connumerat tubera & fungos inter plantas sic inquiens. Item plantæ sunt nec ramos habentes nec folia ut fungi & ubera. Nam in lib. secundo eiusdem cap. 2. inquit quòd illa est planta etiam quæ nō habet radicem aut folia. Raze ubi supra connumerat tubera inter olera: Dioscorides ubi supra ait quòd sunt radices: et Galenus lib. 2. de fac. alim. radicibus aut bulbis annumerat: Ascensius ubi supra ait quòd sunt radices: Auicenna ubi supra & Ioan. Britannicus in cōm. 5. satyræ Iuuenalis dicunt tubera in genere fungorum esse annumeranda: unde Matthæus Siluaticus in suis pandectis in littera T ait. tubera sunt fungi sub terra morantes rotundi admodum pilæ & in

littera N ait quòd ab aliquibus uocatur tuber fungus uescentium: Plinius uero ubi supra cap. 2. aliquando uocat terræ callum, et aliquando naturam terræ in se globatam: & cap. 3. ait. sunt & in fungorum genere a Græcis dicti pezice qui sine radice aut pediculo nascũtur. Matthæus Aurogallus Boemus li. epist. uariæ lect. epistola 16. loquens de differentijs plantarum ait. tubera debent reponi inter genera Bulborũ cum orbiculatæ & sine squammis radices sint. nam Theophrastus lib. 2. de suffruticibus, herbis & frugibus cap. 13. ait quòd Bulbosæ radices sunt orbiculatæ & sine squammis quæ tantum differunt inter se magnitudine, colore, figura, & sapore: unde ego dico quòd tubera proprie loquendo secundum Arist. ubi supra sunt plantæ, uerum inter bulbosas radices connumerandæ ut recte sentiunt Galenus & Matthæus Aurogallus: & tanto magis quia squammas non habent & sunt orbiculata & solida: & ideo doctissime Aristophanes in Neb. accepit bulbos pro tuberibus dum dixit βολβὺς ἀραχυτέσι. Et qui cæparum genera inter bulbos connumerant abusiue loquuntur ut in libro meo de plantis ostendam, quem annuente Deo fauentibusq; Heroibus cito in lucem dabo, ubi exquisitissime tractatur de omnibus plantis.

Vtrum ſint commoda in aliqua medicina pro morbi alicuius curatione. CAP. XVI.

ALbertus Magnus in libro de mundi mirabilibus inquit nullum ſublunare inueniri quod non habeat uirtutem morbo aduerſantem: Et Magnus Hermes lib. de orbium proportione dicit quòd orbium proportio maxime agnoſcitur ex rebus quæ ad ſe inuicem contrariantur & iuuantur. ex quo his ſtantibus tenendum eſt quòd etiam tubera curent aliquos morbos: nam Auic. ubi ſupra dicit tuberum aqua ſicut eſt abſtergit oculum. & hoc quidam laudauerunt & conceſsit illud Muſaia Medicus & alij. Theodorus Priſcianus lib. 4. de phyſica ſcientia ad Euſebium filium ait. tubera uiridia & axungiam ueterem ſine ſale tunde & panem, facies cataplaſma & impones ad mammillarum dolorem. Iacobus Hollerius in lib. de decoratione corporis humani deſcribit hanc aquam ubi tubera ingrediuntur hoc pacto: Recipe folliculorum ulmi, florum matriſiluæ, florum liguſtri, florum roriſmarini ana lib. 5. infundantur in libris duabus uini albi odoriferi per diem naturalē, poſtea ſecundum artem elambicca & illam elambiccaturam optime obturatam reſerua in uaſe uitreo, poſtea accipias tuberum mundatorum crudorum & minutatim inciſorum libram unam & infunde in illa deſtillatura per tres dies naturales poſtea rurſus per elambiccum deſtilla & illam ut ſupra reſerua & ſic utere pro uiſi decoratione. hæc enim abſtergit, mundificat,

dificat, mollificat & albificat mirum in modum cutim. hæc Hollerius. de eis apud me est maximum secretum expertum ad curandos dolores & podagram & maxime a causa frigida: quod sic paratur. Accipias tubera & mandata peroptime contunde, postea distempera cum uino optimo, hoc facto accipias multas marchesitas fortiter ignitas & sic ponas in lateritia tegula calida & taliter membrum dolorosum adaptabis ut poßit fumum recipere, membro adaptato proijce super ipsam uinum illud & cooperi membrũ cum pannis ut bene fumum accipiat: hoc enim suffumigium resoluit omnem dolorem pluries factum & maxime dolorem podagrarum a causa frigida & membrum confortat & corroborat: ut etiam diffusius probatur in libris meis de omnifariam Artrhitidis curatione, ubi latius declaratur quòd hucusque ullus medicus nec priscus nec recentior sciuit curare huiusmodi dolores & præcipue dolores podagrarum: cui libro nullum aliud deficit, nisi protectio magni numinis, ut sub eius uexillo ipsoq; duce nasutos & zoilos floccipendat. Et ideo nobiles & magnates lætè uiuant & expectent.

De quibusdam eorum historijs. CAP. XVII.

PLinius ubi supra ca. 2. ait Lartio Licinio prætorio uiro iura reddenti in Hispania Carthagine paucis his annis scimus accidisse mordenti tuber ut deprehensus intus denarius primos dentes inflecteret ex quo patet terræ naturam in se globari. In terri-

torio Caßiano ubi etiam bona tubera nascuntur fuit inuentum tuber unum ad pondus 50. librarum & alterum 60. librarum ut a fide dignis percepi, quorum unum fuit seruatum per annum & euasit ligno sum & aridum: mirum est etiam quòd audiui a patre meo Hon. ac carißimo D. Claudio Ciccarello, se pluries uidisse in agro Ceretano Baiulum quendam tubera solo uisu adinuenire: & rusticum unum ducere suem, quæ loca ubi tubera nascebantur rostro inueniebat.

Vtrum inueniantur in mundo nouo. CAP. XVIII.

DIcunt nonnulli quòd tubera etiam inueniuntur in nouo mundo & adducunt inter alia auctoritatem Petri Ciezæ Lugdunensis quinta parte historiarum Perù cap. 40. & auctoritatem P. Hieronymi Lilij in tractatu nouarum Indiarum cap. 28. ubi nominant quosdam fructus tubera. certe isti uerum dicunt quòd etiam inueniantur in mundo nouo sed dicti doctores quos ipsi adducunt non loquuntur de tuberibus, ut sunt nostra sed de quibusdam fructibus qui sunt ueluti fungi & castaneæ & colliguntur in quadam herba simili papauero, & isti fructus insolantur & per annum seruantur estq; eorum principalis uictus ut recte describunt Petrus Cieza ubi supra cap. 40. 66. & 99. & Petrus Hieron. Lilius cap. 28. & 33. quod uero inueniantur in mundo nouo sic probatur: Ioan. Stamlernus de Augusta lib. secundo no-

tabilium rerum mundi enarratione VIII. ad Iacobum Locherum Filomusum quando loquitur de Indijs nouis a Columbo & Alberico Vespucio inuentis inter alia dicit: In quibusdam collibus prope Canariam & Quitum nascuntur etiam tubera optimi saporis ueluti sunt quæ effodiuntur in Tridentino tractu &c. ubi etiam narrat, quod non comeduntur & non sunt in usu ueluti apud nos.

Solutiones aliquarum dubitationum circa tubera. CAP. XIX.

IN quanto tempore generantur tubera? Nonnulli dicunt quod generantur in toto tempore Autumni. Et ego dico quòd ubi sunt materia & alia conuenientia ad eorum generationem, cum natura solum modo intendat gignere radicem quæ extuberet & in molem quandam intumeat sine folijs, stipite, radicibus & fructu, possunt generari in una nocte. Nam ego intellexi a uiris spectatæ fidei, quod in illo loco ubi sunt in uno die excauata tubera, in mane sequentis diei non sine admiratione inuenta sunt tubera rursus adgenerata.

Vtrum sit uerum quod inuenta sint tubera unum 50. librarũ & alterum 60. Respõdetur quod sic quoniam materia tuberis magni fuit unita & multa in uno loco, adeo quòd illud quod intendebat natura facere. u. g. inter centum tubera fecit in unum: nam quemadmodum in uno loco possunt generari mille tubera

ſeparata, & ſic etiam unum magnum propter unitam & multam materiam.

Cur tubera dum ſub cineribus coquuntur ſonum quendam emittunt. Reſpondetur quòd ille ſonus procedit ex uentoſitate propter aliqualem ſubſtantiæ humiditatem, quam propter calidum uaporoſum ex ſe emittunt.

Cur nix ſuper locum ubi tubera naſcuntur facile liqueſcit. Reſpondet Ioan. Pilip. ubi ſupra quoniam ab ipſis ex pingui terra eis circunſtante continuo humidi uapores eleuantur a putredinali calido qui liquefaciunt niuem: unde Cardanus lib. 8. de ſubtilitate dit. omnis putredo calida eſt & ob id tubera naſcentia niues in directo ſuperſtantes colliquant: uel ut inquit Sauonarola ubi ſupra nix ibi non naſcitur ex parte diſpoſitionis terræ ubi naſcuntur nam eſt terra arenoſa & ſicca ualde & ideo ab ea ſorbetur nix ſicut uidemus terram ſiccam ſorbentem aquam reſpectu humidæ.

Cur ſuper tuberibus quædam genera muſcarum libenter circumuolitant. Reſpondet Ioan. Philip. ubi ſupra propter uapores eleuatos a putredinali calido. uel dicendum eſt quòd ubi generantur tubera ſunt duæ putredines uaporoſæ, ex una ſub terra fiunt tubera, ex altera exalante generantur tuberum muſcæ, quæ ob conſimilem locum ibi inhabitant. Alij dicunt quòd ibi quoddam genus muſcarum ſuper tuberum loco circumuolitant quia maxime eorum odore oblectantur & hoc permiſſum eſt ab ipſa natura ut

nobis esset indicium eorum inuentionis.

Cur tubera coitum incitent. Respondet Ioan. Philip. sic. coitum autem incitare uidentur non calidi-tatis gratia sed propter uentositatem et propter sper-matis materiam quæ ex tuberum pinguedine genera-tur: & ob id Baptista Plat. ubi supra inquit. alit hic cibus ut Galeno placet et quidem multum ac Venerem cit. hinc est quòd crebro utantur tuberibus delicato-rum ac lautorum mensæ quo in Venerem promptiores sint. ad genituram si id fiat, laudabile, si uero ad libidinandum ut plerique ociosi & intemperantes so lent, detestandum omnino est. Non nulli dicunt quòd incitant Venerem quia a proprietate generant mul-tum semen. Nam ob hoc dixisse homini sterili Pytha goram ferunt. comede tubera ut sis uirilis. quod dictum aliter a me declaratur in lib. de symbolorum Pythagoræ interpretatione.

Cur tubera condiri debent cũ speciebus et postea bi bendum uinum. Respondet Auic. ubi supra ut euite-mus eorum nocumentum quæ crassum & persidum alimentum præbent. Alij uero dicunt quòd species & uinum resoluunt illam uentositatem & saporem me-liorem faciunt. Nam corpus a uino calefactum per calorẽ amouet eam quæ inest a cibis noxam ut ait Hip pocrates lib. de affectionibus: & ideo dicit Sauona-rola ubi supra quòd aromata remouent eorum nocu-mentum & uinum purum est eis theriaca.

Cur tubera debent coqui in aliquo pingui iure. Respondet Amatus Lusitanus ubi supra sic dicens.

tradit Auic. quòd tubera neruis & stomacho sunt inimica, qua de causa consulto iure carnium pinguium tubera elixanda sunt & ideo sic etiam conduntur cum sale & pipere.

Quare in tuberibus generantur uermes si sunt ita delicata & optimi succci. Respondetur quod hoc non prouenit ratione malæ temperaturæ & eorum praui succi sed propter delicationem tẽperaturæ & propter eorum suauem saporem facillime ab aere externo corrumpuntur & in eis generantur uermes. & hoc elici potest ex ipso Theophrasto ubi supra cap. 14. ubi sic ait. radices autem quæ aliqualem dulcedinem habent ubi diu manserunt uermiculis eroduntur.

Cur herbæ circa tubera non oriuntur. Respondet Ioan. Philip. ubi supra quia substantia & alimentum circa locum illum terræ in tuberibus imbibuntur: quoniam, cum ipsa per pinguedinem terræ ex putrefactione generentur, ex eadem pinguedine nutriuntur & crescunt, ex qua herbæ generari & nutriri deberent: uel ut ait Sauonarola ubi supra non nascitur ibi herba quoniam locus ille sit nimis calidus & congruo nutrimento carens cum terra illa sit arenosa & ualde sicca.

Cur sues inter quadrupedes maxime appetant & quærant tubera. Aliqui respondent quòd tubera sunt eorum proprij cibi inter cæteros cibos: & ideo Grapaldus ubi supra ait at tubera ex tellure sues eruunt rostro. Et ubi supra Platina inquit. mira est scrophæ Nursinæ solertia, facile enim ubi nascantur co-

gnoſcit & inuenta arrectata a ruſtico aure, integra deponit. Alij dicunt quòd cum ſues appetant naturaliter putredinalia & cœnoſa, quia tubera ex putrido calido generantur, ideo ea maxime appetunt & quærunt.

Quomodo tubera poſſunt conſeruari per ſpatium temporis. Nonnulli dicunt quòd immiſſa in arena conſeruantur per duodecim dies: Alij dicunt quod perfecte conſeruantur ſi recondantur in eorum terra ex qua ſunt defoſſa: Alij dicunt quòd tubera circundata cum terra ipſorum & immiſſa in melle & uas ſit bene obturatum quòd conſeruantur per binos menſes & ſic poſſunt facillime transferri de regione in regionem & de ciuitate ad ciuitatem.

Hæc ſunt quæ Duce Deo comiteq; uirtute de tuberibus adinuenire potui, in quibus ſi D. T. ſatisfeci, gratiæ immenſæ agantur Deo, qui mihi pro ſua clementia hoc poſſe tribuit: & ſic de tuberibus ſit dictum.

FINIS.

CARMINA
LAVRENTII SACCHARE
Spoletini, ubi introducit tubera ipsa alloquentia.

Cum matura sumus, niger est color intus, odorq;
Gratus, uis maior, tunc sapimusq; magis.
Talia nos hyemans, è montibus Vmbria mittit,
Quorum nec meminit Plinius historicus.
Quem penès haud tanti pretij tunc carduus esset,
Si nosset nostræ conditionis opes.
Cognita si essemus tunc uati Bilbilis, olim
Nec data Boletis gloria prima foret.
Prodierant solum tunc Tubera ueris, & æstus,
Et quibus est aluus candida, nullus odor.
Vilia quæ ut fuerant, modo sunt, sed quæ eligi oportet
Hæc lege quæ inferius scripta notanda uides.
Magna, recentia, odorata, & sincera, rotunda,
Dum nos inuenias principe digna putes.
Lympha, tonans, tellus, Phœbus nos libra creauit:
Terræ itaque & cœli nos sacra poma sumus.

Eadem loquuntur. Disticon.

Gignimur à nullo, nec natos gignimus ullos,
Gignendi causam sed tibi sæpe damus.

Aliud Disticon.

Poma sumus cæso de terræ uiscere nata,
Olfacias, uel edas, tubera grata sumus.

Aliud

Semina nulla damus, nec semina nascimur ullo,
Sed qui nos mandit, semen habere putat.

Aliud

Non semen, radix, ramus, frons nos tulit, aut flos,
Inter poma tamen nobiliora sumus.

Aliud iocosum.

Tubera quæ misi, non sunt ea tubera mysi.
Quamuis hæc placeant naribus atque gulæ.

Aliud ad Martialem.

Tubera boletis cum dicas poma secunda.
Vescitur ijs princeps, cur modo, uulgus eis?

Martialis responsum.

Boletos Autumnus, hyems sed tubera mittit.
Illos hinc primos, ista secunda uoco.
Vel quia principio boletos ordine mensæ,
Conuiuis dapifer, tubera fine dabat:


Hæc omnia Laurentius Sacchareus
à Spoleto scribebat.

DE CLITVMNO,

FLVMINE CELEBERRIMO,

Opuſculum,

Alphonſo Ciccarello a Mæuania
Phyſico Auctore.



ERVDITISS. VIRO D. LAVRENTIO SACCHAREO A SPOLETO,

Aurelius Angelinus Physicus Maeuanàs S. D.



VM multi libelli compluraq́; uolumina, eruditissime uir, hac potissimum de causa sæpius legantur, quia uiris optimis, illustribusúe dicata sint: uester Alphonsus de Clitumno opusculum confecit, ut non solum eius celebritas omnibus pateret, sed etiam ut hunc paruum laborem ad promissa tibi dicaret. et statuit præstantiæ tuæ ut intelligas neminem tui sibi amantiorem fore. Ne te pigeat igitur præstantissime eruditor campum intrare spica, ucl una decerpta hinc ad lætiora abiturus. Et me in tuorum recipias unum, ut læpidissimus poeta ait, si superest locum rogantem. Vale. Datum Mæuaniæ die XX. Augusti MDLXIII.

Eiusdem Tetrasticon ad librum.

I liber Alphonsi genio suffultus & aura,
Nec tu nasutum Rhinocerota time.
Viuet in æternum, uiuet tua fama peremnis,
Post cineres uirtus uiuere sola facit.

Ioan. Franciscus Baractanus a Spoleto lectori.

Ad Capitolinas arces Clitumnus ouantem
Cum non ulterius prouehat albus equis,
Hactenus incertis quamuis errauerit undis,
Cognitus auctorem nunc super astra uehit.

DE NOMINE CLITVMNI. Cap. Primum.



VLTI docti & maximè Tortellius & Iunianus in suo Dictionario dicunt quòd dicitur Clitumnus quasi Clitor amnis hoc est inuitator: quorum ethymologiæ expositio Nestori Dionysio minimè placet, qui lib. 8. sui Dictionarij sic inquit: Nam si à κλήτορ descenderet, non Clitumnus, sed Cletumnus scribi deberet, quare melius à κλειτός, qui est celebris deducitur, quasi celebris amnis Clitumnus uocetur: quam sententiam etiam Ambrosius Calep. affirmat, & ego eam esse ueriorem sic declaro. Fabius Vopiscus in lib. de fluminibus loquens de Clitumno sic inquit. Clitumnus dicitur à Clitumno triumphorum Deo quasi κλειτός, id est, celebris amnis cuius deitatem incolæ Phalisci uenerantur sub templo egregiæ structuræ &c. quod etiam uidetur affirmasse C. Plin. Nouocomensis lib. 8. epistolarum quando Romano suo scripsit hoc pacto: adiacet templum priscum & religiosum, stat Clitumnus ipse amictus, ornatusq; prætexta, præsens numen atque etiam fatidicum indicant sorteis &c. Et Gabinius Lætus in Eparchigraphia Italiæ dixit. Clitumnus celebris amnis ad triumphos gloriosus, ab omnibus doctoribus uocatur Clitumnus, hodie uero sermone uernaculo in eius ortu, dicitur le

uene di Piſcignano in comitatu Spoleti, à caſtro non procul diſtante quod Piſcignanum appellatur. Et Municipes mei Mæuanates uulgo totum flumen uocant la timia, eo quia ob eius frigiditatem uel ob eius maximum defluxum flumen ſit timendum, ut quidam aiunt. Alij dicunt Clitumnum tempore Strabonis uocatum eſſe teneam: ego uero potius credo dictum eſſe teneam corrupto uocabulo & translato ab altero flumine qui tænias uulgo topino dicitur, propter uulgi opinionem à quo multi ſimiles errores proueniunt, ex quo multoties excogitaui contextum Strabonis in lib. 5. Geographiæ deprauatum eſſe ubi tæniam apud Mæuaniam fluentem nauigabilem facit, cum non tænia ſed Clitumnus ſit nauigabilis ut ait C. Plinius ubi ſupra quando dicit, & nauium patiens. Nanq; tænia nequaquam fuit nauigabilis, & fuit ſine nominis celebritate, dicente Syl. Italico, Tæniæq; inglorius humor id eſt, ſine gloria, & nomine. quapropter uerba Strabonis ſic legerem: dehinc Carſuli & Mæuaniæ præter quam labitur Clitumnus, & hic ipſe paruulis ſcaphis collectos ex agro fructus deuehit in Tyberim.

Deſcriptio Clitumni. Cap. II.

C. Plinius ſecundus Nouocomenſis lib. 8. epiſtolarum ſcribens Romano ſuo ortum, & poſituram Clitumni ſic deſcribit. Vidiſti ne aliquando Clitumnum fontem? ſi non dum, & puto nondum,

alioqui

alioqui narrasses mihi, uide quem ego (pœnitet tarditatis) proxime uidi: modicus collis assurgit antiqua cupressu nemorosus & opacus, hunc subter fons exit, & exprimitur pluribus uenis sed imparibus, eluctatusq; facit gurgitem, qui lato gremio patescit. purus & uitreus ut numerare iactas stipes, & relucentes calculos possis. Inde non loci deuexitate sed ipsa sui copia, & quasi pondere impellitur. fons adhuc & iam amplissimum flumen atque etiam nauium patiens: quas obuias quoque & contrario nisu in diuersa tendenteis transmittit & perfert. adeni ualidus ut illa qua properat, ipse tanquam per solum planum remis non adiuuetur, idem ægerrime remis, contisq; superetur aduersus, iucundum utrunque per iocum ludumq; fluitantibus, ut flexerint cursum laborem otio, otium labore uariare. Ripæ fraxino multa, multa populo uestiuntur. quas perspicuus amnis uelut mersas uiridi imagine adnumerat. Rigor aquæ certauerit niuibus nec color cædit. adiacet templum priscum & religiosum, stat Clitumnus ipse amictus, ornatusq; prætexta, præsens numen atque etiam fatidicum indicant forteis. sparsa sunt circa sacella complura, totidemq; Dei, sua cuique ueneratio, suum nomen, quibusdam uerò etiam fontes. Nam præter illum quasi parentem cæterorum, sunt minores capite discreti, sed flumini miscetur, quod ponte transmittitur, is terminus sacri profaniq;, in superiore parte nauigare tantum, infra etiam natare concessum. Balineum Hispellates, quibus illum locum di-

uus Aug. dono dedit, publice praebent & hospitium. Nec desunt uillae, quae secutae fluminis amoenitatem margini insistunt. in summa nihil erit ex quo non captes uoluptatem: nam studebis quoque, & leges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inscripta, quibus fons ille, Deusq; celebratur, plura laudabis, nonnulla ridebis, quanquam tu uero, quae tua humanitas, nulla ridebis, uale. Haec epistola in C. Plinio ex typis Aldi excusso anno Domini 1518. de uerbo ad uerbum sic legitur In nonnullis uero codicibus antiquis haec epistola sic breuissima legitur. Vidisti ne aliquando Clitumnum fontem? si nondum, & puto nondum alioqui narrasses mihi, quem ego (poenitet tarditatis) proxime uidi: modicus collis assurgit antiqua cupressu nemorosus, & opacus, subter hunc exit fons & exprimitur pluribus uenis sed imparibus eluctatus, qui gurgitem facit lato gremio patefacto purus & uitreus ut numerare iactas stipes & relucentes calculos possis: inde non loci deuexitate, sed ipsa sui copia, & quasi pondere impellitur fons adhuc etiam amplissimum flumen atque etiam nauium patiens. hic mutilus codex eodem quo emerat instruxit plurimis & antiquissimis statuis tantum illi pulcherrimorum operum in horreis quae negligebat, inuicem tu si quid istic epistola dignum ne grauere scribere. Nam cum aures hominum leuitate laetantur tum ad rationem uitae exemplis erudimur: uale. Hi codices sunt diuersi & nequeo excogitare quis nam sit uerior. Vbi etiam ualde admiror.

quòd Plinius non fecerit mentionem de loco siue regione ubi nascitur an in Vmbria an in Hetruria, nec etiam de uirtute aquæ in albificandis tauris, quæ duo ab auctore pro perfecta Clitumni descriptione dimitti non debebant. nisi quis dicat hæc omisisse tanquam notissima, & uulgaria. sed quamuis in utraque multa desiderentur, quia mihi nunc non est locus illas corrigendi in alíud opus oportunius differam.

Dissentio auctorum de loco, ubi oriatur Clitumnus. Cap. III.

PLinius lib. 2. de naturali historia cap. 106. ait. in Phalisco Clitumnus est: Probus in commento li. 2. Virg. ait. Clitumnus est Hetruriæ flumē à fonte nauigabilis: Antonius Mancinellus in eodem commento ait. in Phalisco est Clitumnus: Bartholomæus Taurinensis in lib. de Balneis cap. 36. ait. Clitumnus Italiæ fluuius est inter Phaliscos: Antonius Constantius Fanensis in commento primi, & quarti lib. Fastorum Ouidij inquit. Phaliscorum Clitumnus fluuius est. Godefridus Beringus in suo Dictionario Poetico ait. Clitumnus est fluuius agri Falisci: Gaudentius Merula lib. 3. siluæ uariarum lect. cap. 3. ait. Clitumnus est in Phaliscis Italiæ ubi uulgo il paese di monte Fiascone.

Suetonius Tranquillus in uita C. Caligulæ de expeditione eius Germanica ait. Sed quum ad uisendum nemus flumenq; Clitumni Mæuaniam processisset: ubi

Marcus Antonius Sabellicus in commento inquit. quòd Tranquillus circa Mæuaniam esse Clitumnum significare uidetur: Et in eodem commento Philippus Beroaldus ait. Clitumnum esse fluuium Mæuaniæ: & in commento lib. 2. Elegiarum Propertij in Elegia, quæ sic incipit. Et si me inuito discedis Cynthia Roma &c. ait. Clitumnus fluuius est in Phalisco siue Mæuaniæ Propertij patriæ: Seruius in commento lib. 2. Georg. Virg. ait. Clitumnus fluuius est in Mæuania: Christophorus Landinus in eodem commento ait. Clitumnus Vmbriæ fluuius est apud Mæuaniam defluens: Ioan. Antonius Pantheus Veronensis in confabulatione tertii diei de fontibus caldarianis dicit Clitumnum esse Mæuaniæ fluuium: Georgius Agricola lib. 2. de natura eorum quæ effluunt ex terra dicit. Clitumnum esse Vmbriæ fluuium: Iunianus ubi supra ait. Clitumnus fons Vmbriæ sub Treuio flumen alluit Mæuaniam: Petrus Marsus in commento Sillij Italici ait. Clitumnus est flumen Vmbriæ præterfluens Mæuaniam: Ioannes Boccacius in lib. de Fontibus ait. Clitumnus ut quidam dicunt Mæuaniæ fons est. alij Vmbriæ lacum, alij uerò Mæuaniæ flumen asserunt: & in lib. de fluminibus ait. Clitumnus est Vmbriæ fluuius apud Mæuaniam & Spoletum defluens. hunc alij fontem, alij lacum dicunt. Nestor Dionysius ubi supra ait. Clitumnus fons est in ualle Spoleti apud radices montis cui Treuium oppidum imminet, & fluuium ex se apud Beuanium & Spoletum effundit: Ioan. Rauisius Tex. in secunda parte

suæ Officinæ quando loquitur de fluminibus ait. Clitumnus fluuius est Vmbriæ: & infra loquens de aquarum mirabili natura ait. Clitumnus fluuius est Mæuaniæ: Et Propertius lib.3. Eleg. in Elegia ad Tullum quæ sic incipit. Frigida tam multos &c. ait, quòd Clitumnus oritur in Vmbria dicens. Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Vmbro Tramite & æternum Martius humor opus. ubi Beroaldus in commento dicit quòd Clitumnus est fluuius Vmbriæ. Ex quibus patet contradictio maxima de Clitumno.

Conciliatio dissensionis. Cap. IIII.

SIgismundus Helenius in castigationibus ex uetustorum Archetyporum collatione lib.2.ca.103. Plinij hæc dicit: In Falisco Clitumni amnis aqua potata candidos boues facit. hominem peritum regionum qui tam leui momento Clitumnum ex Vmbria in Heturiam traduxit. uetus lectio: In Phalisco omnis aqua potata candidos boues facit. Hæc castigatio mihi non placet quoniam si esset uerum quòd omnis aqua potata in Falisco fecisset candidos boues, nimirum cæteri doctores antiqui de hac re mentionem fecissent. sed omnes dicunt aquam Clitumni habuisse huiusmodi uirtutem. Ergo dicendum est textum Plinij incorruptum, nec deprauatum esse, sed bene legi in Falisco Clitumni amnis aqua &c. ut infra ostendam.

Marcus Antonius Sabellicus ubi supra in commento Suetonij soluens hanc contradictionem, hæc dicit:

Scriptorum uariatio effecit ut intelligi non poßit ubi sit Clitumnus apud Faliscos in Etruria an in Vmbria apud Mæuaniam ut Tranquillus sentire uidetur. nisi quis dicat primo illum in Etruria Clitumnum uidisse, mox in Vmbriam transgressus Mæuaniam usque processiße. Quæ expositio nullo pacto mihi satisfacit cum repugnet ex directo sententiæ Tranquilli. nescio enim quomodo Caligula ex urbe discessus, prius uidere pro ceßisset Clitumnum in Etruria apud Phaliscos, postea retroceßisset uidere Mæuaniam in Vmbria, cum discesserit ex urbe pro expeditione Germanica non de uiando se à recto itinere. Nam Suetonius ibi clarus est et non indiget ulla interpretatione cum nec textus nec sensus sint obscuri.

Seruius in commento lib. 2. Georg. Virg. dicit Clitumnus autem fluuius est in Mæuania quæ pars Vmbriæ partis Thusciæ. propter quæ uerba Ant. Constantius Fanensis in commento primi lib. Fastorum Ouidij hæc dicit. quo in loco sciendum est Sillium a Plinio non differre: ea enim pars Vmbriæ ubi Mæuania in parte Thusciæ ponitur auctore Seruio, horum conciliatio nullo pacto stare potest quoniam Vmbria secundum omnes geographos, & historicos pars Thusciæ non est, sed est regio & fuit prouincia diuersa segregata ab Hetruria per Albulam. Et dato quod Vmbria sit pars Thusciæ adhuc stat contradictio quoniam ager Phaliscus & Mæuania uel ager Vmber sunt loca diuersa quæ nominatim deberent poni ab auctoribus.

Frater Leander in sua Italia in Vmbria ait quòd textus Plinij est deprauatus & sic ex isto textu Plinij omnes alij errarunt ducti ex eius auctoritate. nam ubi legitur Clitumnus in Phalisco legi debet in agro Vmbro. Huius expositio adhuc mihi non satisfacit quoniam omnes codices Plinij sic leguntur in Phalisco & tantus uir tantum errorem non scripsisset.

Horum opinionibus omißis ad hanc sententiam ueriorem deuenirem. In primis sciendum est quòd Gabinius Letus ubi supra in Vmbria quando loquitur de Trebia hæc dicit. a quo non procul distat Clitumnus amnis sub alpe collis &c. & statim post Trebiam ponit hoc castrum sic dicens. Phaliscum castrum est in alpe montis ortus Clitumni non longe a Trebia an. xij. post urbem conditam a Phaliscis populis Hetruriæ expulsis, in cuius agro sub pascuis equos trium phales & tauros albos sacrificales suscipiunt, ante piationes sub templo Clitumno Deo exhibitas. Agri fertiles sunt & quamplurimis sacellis ornati uarijs deorum numinibus dicati ad quotidianas expiationes uisuntur. His stantibus dico quòd inter dictos auctores nulla est contradictio quia aliqui describunt ortum Clitumni scilicet in agro Phalisco apud castrum Phaliscum, aliqui regionem irrigatam ab eo, id est Vmbriam, & aliqui locum præter quem fluit ut apud Mæuaniam & agrum spoletinum. & quod hoc sit uerum probatur. Nam Ouidius 1 lib. Fastorum facit mentionem de pascuis Phaliscis sic dicens.

Colla rudes operum præbent ferienda iuuenci

Quos aluit campis herba Phalisca suis.
Et in lib.de Ponto de Pōpeio cōsule idem fere inquit.
Colla boues niueos certe præbere securi.

Quos aluit campis herba Phalisca suis. Ouid.n. non potuit intelligere de agris agri Phalisci in Hetruria quoniam non inuenitur flumen nec aqua apud Phaliscos Hetruriæ quæ albificaret fœtus taurorum & equorum, sed intellexit de agro Phalisco Vmbriæ. quod probatur per Gabinium ubi supra dicendo sub pascuis & quando loquitur de Trebia dicit susceptis albis tauris e pascuis Phaliscorum. De isto castro Phalisco etiam intelligere uoluit Paulus Marsus in commento lib.primi Fastorum Ouidij quando dixit. Aliqui oeari simphaliscum appellant in uia Flaminea iacentem inter Ocheculum & Romam. Nam cum hoc recitaret ex aliquorum opinione potuit facillime errare cum Phaliscum castrum sit apud Trebiam in agro Spoletino ut ait Gabinius Letus ubi supra. & ideo errant ibi commentatores intelligentes herbam Phaliscam agri Phalisci in Hetruria, & etiam errant illi qui intelligunt agrum Phaliscum in Hetruria, & non in Vmbria. Et sic patet conciliatio dictæ contradictionis de Clitumno.

Noua opinio de ortu Clitumni, ac eius confutatio. Cap. V.

NOnnulli docti credunt oriri Clitumnum in comitatu Nuceriæ in quibusdam montis Alpibus

lapillosis ubi uulgo hodie dicit l'acqua sancta: nam aiunt quòd ibi uidetur quod dicit C. Plinius de Clitumno: in primis plures sunt uenæ & impares, aqua est ita lucidißima ac diaphana quòd minimus etiam stipes & lapillus proiectus in fundo conspici potest: & in colore & rigore frigidißimo ita æquiparatur niuibus & glaciei, quòd manus intus positæ uix teneri possunt, & nunc uulgariter dicitur l'acqua bianca. Et inquiunt, quòd antiquitus coniungebatur cum illo fluuio qui oritur ex uenis Piscignani qui uocabatur Tænia in territorio Mæuaniæ, & sic erat flumen nauigabile.

Istorum opinio & si uideatur apparens tamen tanquam inanis reijci potest, tum quia communis opinio eis contrariatur, tum etiam quia non conspiciuntur in isto loco istius fluminis ea omnia quæ recitat C. Plinius de Clitumno quamuis rigor, & color talis aquæ conueniat Clitumno. Nam apud uenas Piscignani circum circa uidentur uestigia castri Phalisci, templi Clitumni, & sacellorum, uenæ sunt impares quæ coniunctæ purum gurgitem ac uitreum faciunt, ex quo flumen paruis scaphis nauigabile effluit. cuius aqua est frigidißima & limpidißima, & breuiter eorum omnium quæ recitat Plinius nunc aliqua uestigia inspiciuntur, quæ in illo territorio Nucerię nequaquam apparent. præterea Gabinius Letus ubi supra & multi alij faciunt diuersos fluuios & Clitumnum et Tæniā quoniam Tænia oritur in comitatu Nuceriæ quæ propter eius ortum uocata est Alphatænia

hoc est principium Tæniæ ut alibi diffusius probauimus. & sic patet confutatio istius uanæ opinionis.

De magnitudine Clitumni Cap. VI.

Sciendum est, quòd si apud priscos (ut ait C. Plinius) Clitumnus erat flumen nauigabile debebat esse magnum, amplum ac profundum: nunc uero temporis est flumen notabile & nauigabile paruis scaphis ab ortu usque ad Tyberim: in cuius defluxu longus est miliaribus 15. uel circa. Et apud Mæuaniam coniungitur cum Tænia qui sic socialibus undis in Tyberim non procul à Vectonio confluunt. in magnis ac continuis pluuijs & imbribus adeo augetur ac turgescit ut multoties exinundet multas planities & præcipue in territorio Mæuaniæ non sine detrimento segetum ac satorum, & maxime quando etiam Tænia procellosus fluuius multis aquis auctus simul eodem tempore coniungitur.

De qualitate eius aquæ & quæ animalia producat. Cap. VII.

Aqua Clitumni in eius ortu est limpidissima, & frigida, & cum sit aqua occidentalis, rigida ac uentosa mala est. & maxime ex flumine suscepta propter alueum cœnosum ac limosum, producit hæc aqua multos pisces fluuiatiles scilicet, leuciscos, barbos, anguillas, cottos, ranas, astacos,

cancros, squillas & nonnulla animalia insecta ut sunt uermes, cicadæ, & pediculi, quæ omnia animalia lætè uiuunt ac fœcundè in ipsa aqua Clitumni.

De uirtute eius aquæ. Cap. VIII.

SEruius & Mancinellus ubi supra dicunt quòd animalia, quæ eum potauerint albos fœtus creant. Christophorus Landinus ubi supra ait. ex quo si uacca ouis'ue post conceptum biberit albos parit. Bartholomæus Taurinensis ubi supra ait. armenta ex eo bibentia candore inficit. Georgius Agricola ubi supra ait. candidos boues & oues Clitumnus facit. Plinius de naturali historia ubi supra ait. Clitumni amnis aqua potata candidos boues facit. Nestor Dionysius ubi supra ait. ex huius aqua si bos biberit & conceperit non solum grandes sed penitus albos producit, dicente Virg. lib. 2. Georgicorum.

Hinc albi Clitumne greges & maxima taurus
Victima sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deos duxere triumphos.

Et Sillius Italicus lib. 8. dicit.

Et lauat ingentem perfundens flumine sacro
Clitumnus taurum. Et lib. 4. ait.

Et patulis Clitumnus in aruis
Candentes gelido perfundit flumine tauros.

Et Ioannes Boccacius lib. de fontibus ait. circa Clitumnum maximos boues gigni. Et in lib. de fluminibus inquit. ex Clitumno ut quidam uolunt, si confe-

stim postquam concepit bos bibat album pariet. quamobrē Romani magnas hostias Ioui immolaturi ad hunc locum pro albis tauris mittebant. Et Ioan. Pantheus ubi supra hæc ait. Vergilius insuper carmine Georgico Clitumnum Mæuaniæ fluuium collaudat quòd apud eum depascentes tauri ad sacrificia eius potu reddantur candidissimi nec minus equi ad uehendos in capitolium triumphales heroas. ex quibus patet, quòd aqua Clitumni non solum faciebat albos greges, & tauros sed etiam magnos.

Cur Clitumnus iam habuerit istam uirtutem, quam modo non possidet. Cap. IX.

CErtum est ut patet ex supradictis, quòd aqua Clitumni habebat hanc uirtutem uel proprietatem & albificandi & magnificandi tauros & equos. unde quæri potest cur habuerit istam uirtutem & modo illa deperdita est. dicti auctores nullam reddunt de hac re rationem & quantum coniicere ex eorum dictis possum Clitumnus habebat hanc uirtutem in Italia solum albificandi & magnificandi greges ex proprietate uel uirtute occulta sacerrimæ deitatis Clitumni Dei triumphorum. & ideo Virgil. & Sillius ubi supra uocant Clitumnū sacrum flumen. & hoc patet quia illa uirtus modo est deperdita ut uidetur in multis alijs fontibus & fluminibus, quæ priscis illis temporibus habebant aliquas uirtutes quas modo omiserunt. Et hoc dici potest prouenire ex tem

porum uetustate. Nam quemadmodum cæteræ res propter nimiam antiquitatem & senectutem uirtutes proprias deperdunt, sic etiam aquæ & cætera ex terra nascentia uirtutes amittunt. & hoc probari, potest ex Pontano qui in lib. suo Metheorologicorum probat uetustate temporum mutari fontes ac maria, sic inquiens.

Sed nec perpetuæ sedes sunt fontibus ullæ,
Aeterni aut manant cursus, mutantur in æuum
Singula, & inceptum alternat natura tenorem,
Quodq; dies antiqua tulit, post auferet ipsa.

Nonnulli docti inquiunt, quòd Clitumnus habebat hanc uirtutem ex qualitate ipsius aquæ non autem ex uirtute occulta, & si modo hoc non uidetur, prouenit quoniam nos non utimur diligentia, ut si quando uacca, uel equa iam iam calcata à tauro uel equo non bibit ex aqua Clitumni in eius ortu ut dicunt dicti doctores: huiusmodi enim uirtus procedit ex frigiditate ipsius aquæ. & hoc probant his auctoritatibus. Aristoteles enim lib. 3. de historia anim. cap. 12. dicens aquis quibusdam uim inesse immutandi colores animantium sic inquit: Aquarum item diuersarum usu nonnulla suos immutant colores, alibi enim candida, alibi nigra redduntur, sunt etiam aquæ multis in locis, quas cum oues biberint moxq; inierint nigros generēt agnos ut in terra Aßyritide agri Chalcidici Thraciæ facit amnis quem præ nimia frigiditate psychrum uocant. Et in Antandria quoque duo sunt fluuij quorum alter candorem, alter nigritiam peco-

ribus facit. Scamander etiam amnis flauas reddere oues creditur, quamobrem Xanthum pro Scamandro nuncupatum ab Homero autumant. Hæc Arist. unde Conciliator discurrens super his uerbis in commento Problem. Arist. part. 10. probl. 7. hæc dicit, igitur oues maxime uariant colorem & hoc aut propter imaginationem tempore coitus fortem, aut propter aquarum permutationem. permutantur autem ad albedinem ex potu aquæ uehementer frigidæ: uirtute enim ipsius humidum perueniens ad pellem per poros laxat eam & humefacit quasi reddens in ipsam perspicuum propterea alba redditur pellis: omnis enim animalis hæc est natura præter hominem quòd pilos uariat, secundum pellis uarietatem & ideo albata pelle ouium necesse est albam lanam fieri: sed quæ nigras reddit oues est uirtutis calidæ ualde ex terreo uapore adusto ibi permixto, quæ quidem perueniens ad pellem quasi adurendo eam reddit terrestrem & sic priuat perspicuitatem a pelle, quare necessario fit pellis nigra & per consequens lana, & sic est de capris & animalibus pluribus licet non adeo de facili mutentur ut oues. Hæc Conciliator hoc etiam uidetur affirmare Victruuius qui lib. 8. ca. 3. hæc ait: Aquarum autem uarietates regionibus & locis, inclinatio mundi, & solis impetus proprius, aut longius cursum faciendo tales efficit terræ humores. quæ qualitates non solum in his rebus sed etiam in pecoribus & armentis discernuntur, hæc non ita dissimiliter efficerentur, nisi proprietates singularum

terrarum in regionibus ad solis potestatem tempera rentur. sunt enim Boetiæ flumina Cephysos & Melas in Lucanis Cratis, Troiæ Xanthus in quæ agris Clazomeniorum & Erythreorum, & Laodicentium fontes ac flumina, cum pecora suis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur eo quotidie potum, ex eoq; quamuis sint alba, procreant alijs locis leucophæa, alijs locis pulla, alijs coracino colore, ita proprietas liquoris cum init in corpus proseminat intinctam sui cuiusque generis qualitatem, igitur quoniam in campis Troianis proxime flumen armenta rufa & pecora leucophæa nascuntur ideo id flumen Ilienses Xanthũ appellauisse dicuntur. Hæc Vict. quæ omnia confirmans Ioan. Pantheus ubi supra ait. tanta inest terræ uirtus ut non modo afferat aquis saporem uerum ab illa transmutandi potentiam recipiunt, illis nanque frigidis & humidis grex epotus inficit albam lanam & pellem. & infra ait. in hanc stipulationem non desunt Plinij attestationes quæ de aquarum miraculis hæc tradunt. Eudicus in Hestioea Eutyche fontes duos tradit esse ceromen ex quo bibentes oues nigras fieri, Melem ex quo albas, ex utroque autem uarias. Theophrastus in Thurijs Cratin candorem facere, Sybarin nigriciam bobus ac pecoribus, quin etiam homines sentire differentiam eam, nam qui Sybarin bibant nigriores esse durioresq; & crispo capillo qui ex Cratide candidos mollioresq; porrecta coma. Item in Macedonia quæ uelint sibi candida nasci ad Halialmonem

ducere, quæ nigra aut fusca ad Axium. Hæc omnia confirmant Bartholomæus Taurinensis lib. 3. de Balneis cap. 36. & Christophorus Landinus in commento lib. 2. Georg. Virgilij. ex quibus elici potest nunc temporis etiam Clitumnum habere hanc uirtutem, quoniam aqua eius est eiusdem qualitatis quam antiquitus habebat. & hoc crederem posse euenire quando ante & post conceptum uacca uel ouis bibisset ex aqua Clitumni in ortu proprio per plures dies ut elici potest ex supradictis. Pro nunc hæc sufficiant de coloribus causatis ab aquis, quia de hac re latius pertractaui in lib. de mundo elementario.

De statua Clitumni. Cap. X.

MVlti inquiunt, quòd apud priscos statua Clitumni erat senex nudus in terra prostratus cum barba & coma oblongis, substentans se super urnam a qua effluit aquæ riuus cum altera manu tenens cornucopiam coronatus corona populnea, & fraxinea. Hæc statua & si antiquitus fuisset communiter in usu ad perpetuationem fluminum, tamen statua Clitumni fuit diuersissima a cæteris statuis fluminum. Nam eius statua erat erecta ut uir prætextatus & coronatus corona laurea & fraxinea. Nam antiqui solum usi sunt aqua Clitumni ad suscipiendos equos & tauros albos pro triumphis & sacrificijs. hoc enim elici potest ex C. Plinio ubi supra dicente. Stat Clitumnus ipse amictus, ornatusq; prætexta præ

sens

sens numen atque etiam fatidicum &c. & etiam conueniens non erat ut statua deitatis triumphorum esset prostrata sed ut uir prætextatus stans. de qua statua cum diffusius pertractauerim in lib. 4. de imaginibus priscorum deorum propterea de ea pro nunc satis sit dictum.

De celebritate Clitumni apud priscos. Cap. XI.

Clitumni celebritas tanta fuit apud priscos ut horum aliqui Sacrum flumen uocauerint & aliqui ad triumphos gloriosum: nanque Virgilius lib. 2. Geor. laudans Clitumnum sic cecinit, ut supra iam citauimus.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus.
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deos duxere triumphos.

Vnde in comm. Antonius Mancinellus ait. triumphantes enim albis equis curru inaurato, capite coronato lauro per urbem uecti capitolium ascendebant ad templum Iouis optimi maximi ubi mactato albo tauro domum postea repetebant. Et hoc etiam uoluit intelligere Claudianus quando dixit.

Non tales Clitumne lauas in gurgite tauros
Tarpeio referunt quos pia uota Ioui.

Et Sillius Italicus describens Clitumnum perfluere per arua Mæuaniæ a qua suscipiantur tauri albi Ioui Capitolino immolandi dixit hoc pacto.

Et sedet ingentem pascens Mæuania taurum.

Dona Ioui &c. de quibus gregibus albis, sacrificijs & triumphis pro nunc nil aliud dicam cum abunde de ijs in lib. de triumphis & sacrificijs Romanorum pertractauerim. Et Gabinius Letus ubi supra considerans Clitumnum inter omnia flumina Italiæ esse maximæ dignitatis ait. Insignis Clitumnus ad triumphos gloriosus. Fuit etiam tantæ uenerationis quòd ipsi sub templo prisco & religioso sacra piabant ut aiunt C. Plinius ubi supra, Gabinius Letus, & Fabius Vopiscus ubi supra. Et Propertius lib. 3. Elegiarum reuocans Tullum peregrinantem ad urbem Romam habitandam laudans Romam, ostentans se de flumine patriæ suæ Mæuaniæ, inter alia dicit, quòd ibi Clitumnus confluit simul Aniene fluuio patriæ Cynthiæ dicens.

Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Vmbro
    Tramite, & æternum Martius humor opus.

Et lib. 2. Eleg. inuitans Cynthiam ad captandas uerales uoluptates, ostentat se captare omnem uoluptatem ad Clitumnum dicens.

Qua formosa suo Clitumnus flumine luco
    Integit, & niueos abluit unda boues.

Et Statius Papinius Domitianum summe magnificans, sibiq; pauperrime litando inquit.

Qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? non si uacuet Mæuania ualles,
Aut præstent niueos Clitumna noualia tauros:
Sufficiam, sed sæpe deis hos inter honores
Cespes, & exiguo placuerunt farra salino.

quasi dicat, si tibi obtulissem quicquid colligitur in ual libus Mæuaniæ & tauros albos Clitumni non suffice rent hæc munera. ex quibus uerbis Statij duo notari possunt fuisse magni nominis famosa & celeberrima, fertilitatem maximam uallium Mæuaniæ. Et albos tauros Clitumni, unum ad rerum abundantiam tellu ris in inferioribus corporaliter offerendo, & alte rum ad diuinos honores offerendos dijs spiritualiter litando: unde cum eius gloriosa fama sit ita celebris & apud tot doctores laudata consentaneum esse duxi huic finem imponere.

FINIS.

INDEX CAPITVM OPVSCVLI, de Clitumno flumine.

FINIS.